



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

Liber CLXXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)



Congregationes de Auxiliis Gratia .

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CLXXXV.



CLEMENS VIII. SUMM. PONTIFEX.

RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

*Molince doctrina ad quartum examen
Pontificis jussu revocata.*

*Hist. Congr.
de auxiliis*

l. 2. c. 14.

*Hist. con-
trov. P. Li-*

vini Majer

l. 43. c. 19.

et 20.

Ineunte anno Domini millesimo sex-
centesimo primo Clemens VIII. Sum-
mus Pontifex, ut Sessæ Ducis, qui
Regis Catholici Orator erat, precibus,

Hij. Eccles. Tom. LIII.

A

nec

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

nec non Jesuitarum querelis satisfacere, viginti Molinæ propositiones, earumque censuras (prout anno priori sponderat) quarto rursus examini subijcere constituit: hunc in finem undecim Consultores ad hoc negotium deputabat, iisque unacum Bernerio, & Bellarmino Cardinalibus adesse iussis, die vigesima tertia Januarii significabat, quod Jesuitæ propugnare contendant, Molinæ doctrinam Pelagianismi nota immerito castigari, ipsumque Bovium Carmelitarum Regentem testari, quod in libro concordiæ nihil fidei repugnans occurreret, proin rem coram Prædicatoribus æque, ac Jesuitis discutere oporteret. Movit hoc equidem tam Episcopis, quam Consultoribus stomachum, ægre ferentibus, quod eundem laborem jam dudum ac sæpius absolutum resumere juberentur: cedendum tamen erat Pontificis voluntati ad evitandam iudicii festinati, minusque mature pronuntiati calumniam: itaque hanc ob causam Clemens ex Prædicatoribus duos Theologos F. Didacum Alvares, & F. de Lemos, ex Societate vero Christophorum Cobos, & Petrum Arrubal adjungi voluit, qui propositiones ex Molinæ libro depromptas, earumque censuras vel impugnant, vel ratas haberent. Cum autem utriusque partis

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

partis Pugiles convenirent, primo statim congressu Jesuitæ aut rem longius protrahi, aut omnino nihil perfici conjectabant; palam enim Patres Dominicani profitebantur, quod non animo quicquam in semel decretis mutandi, sed jam discussa constanter propugnandi proposito in hos cœtus congregarentur: nec eorum verbis eventus ablusit, Patribus Jesuitis ipsoque eorum Præposito Generali necququam rogantibus, ut tam Consultores, quam Patres Dominicani præconceptas de falsis Pelagii & Semipelagianorum erroribus persuasiones deponerent, proin permitterent, ut prius de veris tam Pelagii quam Massiliensium erroribus certi quid statueretur, quam de Molinæ sententiis ageretur. Eorum quoque postulatis deferebat Propertius Resta Episcopus Cariatensis, qui a Claudio Aquaviva Societatis Præposito rogatus Congregationi retulit, quod nisi de Pelagianorum erroribus præprimis ageretur, menti Sanctitatis suæ minus satisfaceret, ac propterea Pelagianæ & Molinianæ doctrinæ, si qua subest, concordiam in cujuslibet propositionis examine, pro more suo Congregati figillatim expendere. Nec inutile videtur hoc monitum, quippe Author *Historiæ Controversiarum* ostendere nititur, varias Molinæ

Sæc. XVII. linæ propositiones ex ignorantia dog-
 A. C. 1601. matum Pelagianorum & Semipelagia-
 norum fuisse rejectas.

§. II.

*Priores decem Molinæ propositiones,
 earumque censuræ denuo re-
 cognitæ.*

*Cornouell. in
 Judic. Con-
 greg. Hist.
 Congreg.
 l. 2. cap. 14.
 Hist. Livini
 Majer l. 4.
 cap. 1.
 Pegna in
 Diar.*

His prævie agitatis die vigesima quinta
 Januarii designati Censores unacum
 Prædicatorum ac Jesuitarum Theologis
 juxta Pontificis mandata conveniunt,
 quibus in primo conventu Propertius
 Resta Cariatensis Episcopus, in cujus
 palatio cunctæ quarti hujus examinis
 Congregationes habebantur, nomine
 Pontificis præcepit, quatenus seposito
 partium studio viginti Molinæ propo-
 sitiones jam antea censuris notatæ uni-
 cuique traderentur, eo fine, ut suas quis-
 que vel vindicias, vel accusationes Con-
 gregationi scripto proferendas parare
 posset. His peractis impositoque sinceritatis
 ac silentii juramento idem Episcopus
 priores duas Molinæ propositiones
 prælegi, atque ad examen vocari in-
 dixit: De utraque hac propositione die
 vigesima nona ejusdem Mensis edi-
 cebant Consultores, quod a semi-
 tis Pelagii & Cassiani non discedere
 videretur. Jesuitæ autem utramque
 asser-

*P. Livin.
 Majer Hist.
 Controv. l. 4.
 cap. 1. p. 257.*

assertionem ab his erroribus vindicabant, ostendentes, secundam propositionem minus integra fide ex Molina fuisse excerptam, & Pelagium æque ac Massilienses longe aliter docuisse: Deno autem ingerebant, quod duntaxat de Pelagii erroribus disputaturi convenissent, econtra vero Fratres Prædicatores reponebant, quod Pelagii mens atque errores jam dudum Ecclesiæ fuerint cogniti, ejusque judicio damnati, proin non de iis agendum, sed unice discutiendum superesset, utrum præfatæ propositiones ex Molinæ libro fideliter extractæ nuper Pelagianismi censuris merito fuerint perstrictæ. His ultro citroque agitatis die prima Februarii rursus de utraque hac propositione actum, ubi Consultoribus pristinæ suæ censuræ insistentibus Jesuitæ suas responsiones Congregationi tradebant, de quibus quidem die tertia Februarii actum, ob absentiam tamen Duorum Censorum Bovii & Crellii earum decisio ad quintam Februarii diem dilata est: Tum vero tam Prædicatores quam Patres Societatis sua responsa ad sequentes quatuor Molinæ propositiones earumque censuras scriptotenus tradere jussi sunt; cum enim Jesuitæ a Thoma de Lemos quædam Molinæ injuriose fuisse imposita animadverterent, rogabant

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

cap. 5. p. 266.

Sæc. XVII.
A. C. 601. bant pro jure suo, ut quæ dixisset, scri-
pto traderet. Paruit Lemosius, atque
ea, quæ dixerat, paullo tamen mol-
lius conscripsit, causatus, quod cetera
jamjam iisdem plane verbis scripto Con-
sultoribus dato consignasset. Postea E-
piscopus Cariatensis die octava Februa-
rii habita Congregatione utriusque par-
tis Theologos nomine summi Pontificis
admonuit, ut deinceps sua de proposi-
tionibus atque censuris responsa sine al-
tercatione aut mutua contentione pro-
ferrent, quo audito Christophorus Co-
bos Jesuita tertiam Molinæ proposi-
tionem injuste notatam asserens, & de
quarta se nihil paratum habere dicti-
tans, concessi sibi temporis angustias
incusabat, rogans Consultores, ut dein-
ceps una duntaxat Congregatio in qua-
vis hebdomada haberetur. Id quoque
ejusdem petitioni datum, atque in se-
ptima Congregatione die duodecima Fe-
bruarii statutum, ut feria secunda pro
partibus audiendis, feria autem quinta
duntaxat inter Consultores pro discutien-
dis Theologorum responsis Congregatio
haberetur. Porro circa tertiam & quar-
tam Molinæ propositionem Plumbinus
cap. 5. p. 267. hoc pronuntiabat judicium: *non existi-
mo eas esse de reliquiis Pelagii neque ejus fau-
torum, nec video, quod sit semipelagiana:*
Bovius vero Carmelitarum Regens in-
quiebat,

quiebat, *tertiam esse Catholicam & probabilem, quartam quoque sicut Superiores nulla censura dignam censeo*: ceteri autem omnes Censores existimabant, non esse recedendum a sententia & censura antehac pronuntiata. Proponerentur postea quinta & sexta Molinæ propositiones unacum utriusque censura: Utriusque defensionem arripuit Pater Gregorius de Valentia olim in Ingolstadiensi Academia Theologiæ Professor, Dominicanus tum nihil plane in contrarium opponentibus, qui tamen postea tempus opportunum nacti in arcanis suis animadversionibus, quas scriptas Consultoribus, invitis licet Jesuitis, suppeditarunt, quædam Molinæ falso imposuerunt, quæ scripto pariter refutata fuisse a Theologis Societatis, testatur præfatus Pater Livinus. Percepta igitur Jesuitarum defensione rursus omnes Censores pronuntiabant, utramque propositionem Pelagii erroribus affinem esse, Plumbinus vero & Bovius censuere quintam non esse semipelagianam, imo in fide tutam & in schola probabilem, sextam vero nulla censura dignam: Joannes autem de Rada primam partem sextæ propositionis dixit eadem censura dignam, qua notandam prius censuit secundam. Die decima octava Februarii in nona Congregatione Di-

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

cap. 6. p. 268.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.
dacus Alvarez Dominicanus suum iudicium circa septimam Molinæ propositionem scripto reliquit, pro Molina autem Petrus Arrubal & præcipue Gregorius de Valentia perorabant, nihilominus hæc a plerisque Consultoribus proscripita est. Non minus strenue vindicabatur octava propositio, circa quam tamen die vigesima secunda ejusdem Mensis decretum est, persistendum esse in censura jam olim lata: Joannes quoque Rada septimam esse semipelagianam asseruit, Plumbinus vero neque Pelagianam neque semipelagianam, & Bovius omnino fidei consonam censebant. Nona Molinæ propositio, si Livino fides, transposita, interrupta, truncata, & infideliter ex Molina decerpta, atque a Censoribus proscripita, a Molinæ vindicibus restituta, & propugnata est: idem quoque testatur de propositione decima.

c. 10. p. 276.

§. III.

Quarti examinis continuatio.

Hist. Congr. Livin. Major Hist. controuv. l. 4. c. 16. & seq.
Postquam pristina censura a plerisque Consultoribus fuerat confirmata, plane Molinæ causam in vado esse jactitabant nonnulli, nihilominus non paucis tam validæ videbantur Molinistarum vindiciæ, ut victoria utrinque nutare crede-

crederetur: continuato igitur examine Sæc. XVII.
 in decima tertia Congregatione Gre- A. C. 1601.
 gorius Valentia pro undecima & duo-
 decima Molinæ propositione die duode-
 cima Martii decertabat, utramque a
 semipelagianismi errore vindicans, cu-
 jus tamen omnes Censores, excepto Bo-
 vio & Plumbino, ream agnovere. Postea
 Patres Societatis scripta sua ei, qui
 Congregationi a secretis erat, tradide-
 runt, & suæ in afferendis pro numero
 Consultorum exemplaribus impotentiam c. 15. p. 286.
 excusantes Congregationi supplicarunt,
 ne censores sua de Molinæ propositio-
 nibus judicia ferrent, donec de singu-
 lis ipsi dixissent; verum rejecta est eo-
 rum petitio, itumque interim in suffragia,
 judiciaque lata, uti meminimus: Post-
 modum in Congregatione decima quin-
 ta die decima nona Martii de decima
 tertia & decima quarta propositione, e-
 jusque censura actum, ubi Pater Valen-
 tia genuinum Molinæ sensum non fuisse
 excerptum, recte quidem monebat, hanc
 tamen interpolationem Congregationis
 vitio factam asserere visus, Præsidis
 indignationem incurrit; hic enim mox
 alios produci Codices jussit, ex quibus
 hanc mutationem Amanuensis incuria
 fuisse factam patebat: quantocius ta-
 men Valentia sinistram sui dicti persua-
 sionem excusans, agebat, *qualicumque de-*

Sæc. XVII. *num consilio aut casu commutata fuerint illa*
A. C. 1601. *Molinæ verba, nobis tamen videtur, sub*
debita correctione S. R. Ecclesiæ, doctrina
hujus propositionis esse Catholica: Nihilominus
harum propositionum censura ab omnibus Cen-
soribus fuit confirmata, Plumbinus tamen & Bovius illas cen-
fuerunt nullo modo Pelagianas vel
c. 17. p. 191. *femipelagianas. Idem fatum subjere*
decima quinta & decima sexta propo-
sitiones, pro quibus vindicandis Valen-
tia tres circiter horas perorabat, sup-
plicans, ut cum ad parandas re-
sponsiones ei unius hebdomadæ spatium
c. 21. p. 296. *non sufficeret, alternis duntaxat heb-*
domadibus congressus cum Dominicanis
haberetur, aut saltem Scholastica
methodo deinceps argumenta proponerentur:
reponebant tamen Consultores, unius hebdomadæ
tempus ad binas duntaxat propositiones dilucidandas
sufficere, disputationes vero scholasticas inconsulto
Pontifice concedi haud posse. Die quarta Aprilis
Theologi, qui decimam septimam & octavam propo-
sitionem examinabant, Dominicanorum responsa
Jesuitis tradiderunt, vicissim ea a Patribus
Societatis exigentes: de cetero utraque propositio
pristinis censuris perstrictæ fuerunt, Plumbinus
vero & Bovius eas probe Catholicas, & nulla
ratione ad errorem Pelagii vel semi-

femipelagianorum accedere censebant: Sæc. XVII. A. C. 1601.
 Pariter ceteris reclamantibus judicabant, quod decima nona Molinæ propositio perperam ejusmodi erroris fuerit accusata, meritoque tanquam ad fidem Catholicam pertinens defendi valeat. Denique vigesima propositio fuit recognita, quam Molinæ vindices a fidei sententia de causa prædestinationis gratuitæ, qualis contra Pelagianos & Massilienses definita est, minime absonam esse demonstrarunt. Hac igitur ratione quartum hoc examen habitis triginta tribus Congregationibus absolutum est, quin tamen hujus controversiæ definitio speranda foret.

§. IV.

Epistola Philippi III. Hispaniarum Regis ad Oratorem suum.

Cum interim fama de novo hoc examine, atque iterata censura perstrictis Molinæ propositionibus per Hispaniam latius diffunderetur, hanc demum controversiam brevi supremo Sedis Apostolicæ judicio dirimendam, conjectabant quam plurimi: ne vero tanti momenti negotium variis æmulorum artibus præpediretur, citiusque imminetia toti Hispaniæ regno damna præverti possent, Philippus III. Hispaniæ Rex, Epistola Phil. III. an. 1601. qui 3 Maij.

Hist. Congr. l. 2. c. 24.

Epistola Phil. III. an. 1601. qui 3 Maij.

Sæc. XVII, qui jam elapso triennio ad comprimen-
A. C. 1601. dos novitatum ac diffidiorum seminato-
 res auctoritatem suam interposuerat,
 hoc quoque anno die tertia Maji extre-
 mum causæ judicium omni sollicitudine
 urgendum suo apud Pontificem Oratori
 Sessæ Duci commendabat, die tertia
 Maji data ad eum epistola hujus teno-
 ris: *Ob dilatatum Sedis Apostolicæ judicium,
 de controversis Prædicatores inter ac Jesui-
 tas divinæ gratiæ quæstionibus grave Eccle-
 siæ Catholicæ periculum imminet. Utrique
 enim suas in dies opiniones tenacius ebibunt,
 ac devotorum animis inserunt. Cum ergo
 ad Christi Vicarium pertineat imminetia
 inde pericula opportune præcavere, nostri-
 que officii sit, pro filialis observantiæ reli-
 gione eadem ipsi in memoriam revocare; id-
 circo per præsentem literas injungo, ut hæc
 Sanctitati suæ nomine meo significes: qua-
 tenus controversiam, attenta urgente neces-
 sitate, brevi definiat. Adde me ad ista si-
 gnificanda officii duntaxat, ac debiti religio-
 ne moveri, curabis, ne ultra definitio pro-
 trahatur: quæ vero in posterum accident,
 rescribes sedulo.*

PHILIPPUS REX.

Acceptis hisce literis Orator die duo-
 decima Junii ad alloquium admissus,
 summo Pontifici exposuit, quod, si diu-
 tius hæc utriusque partis contentio in-
 valesce-

valescere permetteretur, longe gra-
 vius, quam olim ex Lutherana hæresi, Sæc. XVII.
A. C. 1601.
 ob remedii dilationem periculum esset
 timendum, eoquod animis indies ma-
 gis exacerbatis, ac Theologis in diver-
 sas sententias scissis nil nisi scandala,
 ac periculosæ fluctuationes inter rudio-
 res progerminari videantur. Placuit
 Pontifici Oratoris consilium, remque
 post absolutum Censorum iudicium ma-
 turandam promisit, clam tamen Fran-
 cisco Pagnæ Rotæ Romanæ Decano ma-
 nifestans, quod valde timeret, ne præ-
 valente propriæ opinionis studio Apo-
 stolice definitio minus religiose susci-
 peretur. Attamen Orator percepta Pon-
 tificis hæsitazione, non defuturam esse
 Regis Catholici auctoritatem pollicetur,
 nec verendum asserit, ne hanc causam
 minus mature discussam calumnientur
 nonnulli, cum omnibus perspectum sit,
 eam in Hispania, Belgio & Romæ in
 frequentissimis congressibus integro
 triennio fuisse agitatam: Ad hæc sum-
 mus Pontifex se remedium malo proxi-
 me oppositurum sponndit.

§. V.

*Commendatitiæ literæ ad Clementem
 Papam.*

Haud segniori studio Molinæ fautores *Hist. controu.*
 novam illius doctrinam commenda- *lib. 4. c. 35.*
 titiis

Sæc. XVII. titiis Principum literis tueri moliuntur,
A. C. 1601, ut Clementem Papam a ferendo iudicio
deterrent: eapropter præ ceteris Gui-
lielmum Bavarix Ducem, apud quem
gratia & autoritate plurimum vale-
bant, supplices adeunt, ut datis ad Pa-
pam literis societatem a Dominicanis
inique oppressam defendere, atque ab
ea damnandæ sententiæ calumniam
prævertere vellet. Cessit eorum preci-
bus, votisque piissimus Dux, qui die
vigesima quarta Julii hunc in modum
Clementi VIII. perscripsit: *Audio nunc
sæpe ex variis locis, Sanctissime Pater, a
Dominicanis Monachis rumorem ubique spar-
gi, quasi in controversia illa de gratiæ effi-
cacitate, quam cum Ludovico Molina, &
aliis Societatis Jesu Patribus habent, do-
ctrina Societatis sit damnanda a Sacra Sede
tanquam hæretica & Pelagiana, & suatan-
quam ex fide certa probanda. Sane hæc-
tenus longe aliud meum, & omnium ubique
bonorum & doctorum hominum de Theolo-
gorum Societatis doctrina iudicium, aliud
quoque fuit, & adhuc est Theologorum In-
golstadiensium, & omnium aliarum Acade-
miarum Catholicarum in his maxime par-
tibus septentrionalibus de hac ipsa contro-
versia iudicium; omnes enim quotquot hac
de re audiui, vel sive coram, sive absentes
consului, constanter asseruerunt, sententiam
Dominicanorum a Doctrina Lutherana &
Calvi-*

Calviniana non differre, Patrum vero So- Sæc. XVII.
cietatis sententiam doctrinæ Catholicæ a SS. A. C. 1601.
Patribus, & Conciliis, præsertim Triden-
tino traditæ esse conformem, atque consen-
taneam. Neque possum mihi de horum Pa-
trum doctrina aliud persuadere: eam enim
jam diu Sedi Apostolicæ, & toto orbi sa-
tis probarunt tum docendo in omnibus pro-
pe Europæ Academiis, tum libros edendo
omni vera & solida doctrina refertissimos;
quo utroque munere Catholicas Academias,
& omnes præsertim Septentrionales plagas
ita illustrarunt, & antiquam Sanctorum Pa-
trum & Conciliorum doctrinam ita mundo
palam certaque fecerunt, ut vehementer
mirentur omnes docti, gaudeant maxime
omnes boni Catholici, plurimum vero do-
leant omnes hæretici, & invideant mali po-
litici: ut nihil jam dicam de eorum in hære-
ticis refutandis & Catholicis confirmandis
indefesso studio; in defendenda Sedis Apo-
stolicæ auctoritate, honore, & existimatione,
incredibili sollicitudine in extirpandis ubi-
que vitiis, & solida in animis omnium vir-
tute plantanda immensis laboribus: quæ om-
nia cum sciam Sanctitati vestræ non minus
quam mihi esse comperta, induci non possum,
ut credam Sanctitatem vestram animo esse
alieno ab his hujus Ordinis hominibus Ec-
clesiæ tam utilibus, Sedi Apostolicæ addictis
& obedientibus; licet non desint, qui hoc
suspicientur ex negotii hujus progressu, &
istorum

Sæc. XVII. *istorum Dominicanorum audacia in*
A. C. 1601. *modi rumoribus spargendis, & in perse-*
quenda Societate tam obstinate & impune;
præsertim cum aliunde quoque intelligam, ple-
rosque procurare, ut desit Societati in San-
ctitate vestra favor & patrocinium, tot no-
minibus alioquin debitum iis, qui totos se
impendunt in obsequium Sedis Apostolicæ.
Non diffidat, quæso, Sanctitas vestra huic
Societati in rebus, quas quidam solum Mo-
nachi & alii pauci cum illis conspirantes im-
probant. Non agitur hic de existimatione
unius duntaxat Molinæ, cum pleraque, &
præcipua, quæ in illo notantur, sint etiam
communis plerisque aliis Theologis Societa-
tis, imo in plurimis & præcipuis Academiis
tanquam Catholicæ Doctrinæ consentanea re-
cepta & approbata. Compescat, obsecro,
Sanctitas vestra illorum Monachorum auda-
ciam, qui officium ejus & judicium ita te-
mere præveniunt, & antequam Sanctitas
vestra quidquam damnet, ipsis suis rumori-
bus in suspensionem erroris adducunt, imo a-
perte damnant. Ex quo non potest non o-
riri summum scandalum, præsertim in his
locis nostris septentrionalibus, ubi tum Ca-
tholici, tum etiam ipsi hæretici agnoscunt,
& fatentur, Societatis opera, & doctrinæ
illius existimatione potissime Catholicorum
fidem esse defensam, conservatam, propug-
natam, & repressum hæreticorum impetum,
qui alioquin omnia jam pridem vastassent, &

ex

ex hisce locis Catholicam Religionem exter-
 minassent. Spero fore, ut Sanctitas vestra
 hanc meam Epistolam boni consulat, & vel
 tribus verbis mihi omnem dolorem, & timo-
 rem eximat. Ego non cessabo pro Sancti-
 tatis vestrae incolumitate, ac felici regimine
 Deum assidue orare. Gratia & Clementie
 Sanctitatis vestrae me meosque humillime com-
 mendo, ejusque Apostolicam Benedictionem
 devoto corde exopto. Monachii vigesima
 quarta Julii anno millesimo sexcentesimo
 primo.

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

Dato ad has literas responso Cle-
 mens Papa Duci reposuit: non minus
 sibi quoque comprobata esse Societatis
 merita: controversam vero Authoris do-
 ctrinam supremo ejus judicio relinquen-
 dam. Pariter die octava Junii Joannes
 Borgia datis literis officiose Molinam
 commendans, Pontificem a ferenda
 damnationis censura dehortabatur, ex-
 ponens, quod supremus Lusitanæ Se-
 natus, quo favente liber Concordiæ pro-
 dierat, honoris sui dispendium patere-
 tur, non sine Regni Hispaniæ offensione.
 Haud absimiles literas ad Arrigonium
 Cardinalem dedere Complutensis Aca-
 demia Doctores, quibus insuper accesserunt
 nonnulli Moguntinæ & Herbipolen-
 sis Academiae Theologi, qui Germanica-
 rum universitatum judicia audiri postu-
 labant.

Hist. Eccles. Tom. LIII. B §. VI.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. VI.

Quarti examinis acta summo Pontifici oblata.

*Ex Diario
Pegnæ Hist.
Congr. l. 2.
cap. 23.
Hist. controu.
l. 4. c. 33.
Bellarm. ep.
ad Clem.
an. 1601.*

Absoluto hoc examine Consultores Conronello, qui huic cætui a secretis erat, necnon Bossutio Doctori Sorbonico negotium dedere, ut tam Molinæ propositiones, quam adjunctas confirmatasque censuras unacum Jesuitarum vindiciis nitidiori calamo conscriberent summo Pontifici exhibendas: priusquam vero hi injuncto satisfacerent operi, Clemens Papa die sexta Augusti Censores adesse iussit, de Congregationum successu sciscitatus, perceptaque rei gestæ ferie ad Bovium Carmelitam conversus, ac per duos & amplius horas contra scientiam Mediam disputans, nec hunc nec Plumbinum, qui semper a ceteris dissenserant, actorum recognitioni interesse voluit. Huic ergo operi insudatum est per integrum ferme semestrem. Tandem die quinta Decembris Censores cuncta Congregationum acta summo Pontifici exhibent, qui tam amplam scriptorum congeriem intuens, *si vobis, inquit, licet numero duodecim fueritis, ad ea perficienda annus fuit necessarius, mihi soli certe ad ea perlegenda annus non sufficiet*, ad hæc reposuit Agathensis

thenſis Epiſcopus, quod ingenii ſui facilitate, hauſtaque jam prius plena totius controverſiæ notitia ex æquo facile judicare poterit, etſi non omnia minutatim perlecturus eſſet; aliunde vero hanc in rem ſcripta jam toties audita, & diſcuſſa forent, ut nova hæc Congregationis judicia adverſariis tradere, non modo ſupervacaneum, ſed & ſat periculofum crederet; idem quoque Bellarminus ſummo Pontifici his verbis innuebat: tantum illud Sanctitatis veſtræ ſtudium, *ut univerſa, quæ ſibi legenda conſtituit, legat, minime neceſſarium eſt, jamque ſatis legit ac ſtudit.* Nihilominus Pontifex priſtini propoſiti promiſſique tenax rem ſeſe nonniſi abſoluta actorum lectione definiturum reſpondit.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. VII.

Rumor de damnationis ſententia propediem a Pontifice ferenda.

His ita Romæ agitatis, ac publica fama ubique divulgatis variis, & ut fieri amat, mendax rumor de infaſto Molinæ fato in Hiſpaniam uſque deſerebatur, nuntiatumque, hunc Auctorem ejusque doctrinam non modo propediem damnatum iri, ſed etiam Molinæ ſtatuiam Romæ exuſtam, ac Jeſuitis omnem docendi uſum interdicens

Epist. Bellarmini ad Padillam Fuligatus in vita Bellar. l. 6. c. 7. Cellotus l. 8. Hierarch. cap. 18. p. 33. Petra Sancta in vita Bellarmini.

B 2

dum

Sæc. XVII. dum fore: Eapropter Antonius de Pa-
 A. C. 1601. dilla Jesuita iterato ad Bellarminum
 Cardinalem epistolam dedit de veritate
 hujus rumoris sciscitatus, cui ille die
 nona Martii hunc in modum rescripsit:
*Miror certorum hominum audaciam, quos
 non pudet dispendio animæ, ac salutis sue
 tam portentosa mendacia spargere. Hoc
 pro testatissimo certissimoque habe; combu-
 rendæ statucæ Molinæ ne cogitationem qui-
 dem hic cuiquam obortam: nedum hoc jam
 factum, quod isti jactant, credi debeat. Ne-
 gotium principale controversiæ de prædeter-
 minatione & causa peccati nunc non tracta-
 tur: speramus in Domino sententiam affir-
 mantium prædeterminationem, & tollentium
 indifferentiam a voluntate, judicatum in
 saltem multum periculosam. Quod jam a-
 gitur, est revisio Censuræ, quam intulerunt
 certi Deputati, qui non sunt iudices in hac
 causa, sed tantum Censores libri Molinæ,
 in hac revisione Patres duo Societatis præ-
 sentes adsunt cum totidem Patribus Domi-
 nicanis. Scribuntur oppositiones & defen-
 siones, ubi finita revisio Censuræ fuerit,
 Sanctissimus Dominus Noster iudex erit. Et
 quamquam nescio, quæ sit futura sententia
 Sanctitatis sue, scio tamen, si forte opus
 fuerit emendari Molinæ librum, fore om-
 nino, ut is emendetur in propositionibus dun-
 taxat, quas communes cum adversariis ha-
 bet, non autem in materia controversiæ, quæ
 illis est cum Societate.* Au-

Augebatur nihilominus fama de definienda Molinæ caussa potissimum ex eo, quod summus Pontifex in gratiæ ex se efficacis sententiam inclinare crederetur, sæpiusque, ut ipse Fuligatus Jesuita testatur, variis Cardinalibus exposuisset, quod hanc controversiam definire omnino vellet: Enimvero Bellarminus Cardinalis Clementem quondam commonebat, quod maximi momenti rem agrederetur, proin provide ageret, nihilominus Papa satis se diligentiæ ac studii hoc in negotio adhibuisse ratus, quod definitionem maturaturus esset, Bellarmino declaravit, quo audito Cardinalis Pontifici paucis respondit: *nequaquam ita erit.* Hæc Bellarmini vox nonnullis præbuit occasionem perperam divulgandi, eum a pristina Pontificis benevolentia excidisse, præcipue cum paulo post eum ex Aula ad Capuanam suam Ecclesiam emigrasse conspicerent: Prius vero idem Cardinalis Romæ in Sacello S. Marcelli cum Francisco Maria Montaltio Cardinali de auxiliorum controversia collocutus ab eodem perciperè cogebatur, quod Pontifex possit, atque omnino velit de hac controversia pronuntiare, ad quæ tamen verba Bellarminus nihil hæsitans reposuit: *eum posse & velle non inficior, pronuntio tamen fore, ut non definiat, & si tentaverit exequi, prius*

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

*P. Livinus
 S. J. Hist.
 controu. l. 4.
 c. 33. p. 325.*

Sæc. XVII. *diem obibat.* Hoc vaticinium plane com-
A. C. 1601. probavit rei exitus; eo enim tempore,
 quo Pontifex ad ferendum iudicium sese
 accinxerat, vivis ereptus est. Ut ut
 res se habuerit, id in comperto est, quod
 Societatis Patres, ut Romanæ Censuræ
 rumores dissiparent, die quarta Novem-
 bris Salmanticæ Theses Theologicas
 Cardinali Bellarmino dicatas publicæ
 disputationi exposuerint, in qua, non
 modo probatas Molinæ propositiones,
 sed etiam a Cenforibus notatas pro-
 pugnant.

§. VIII.

*Sigismundi Bathorii irruptio in
Transylvaniam.*

Han vit.
Rudol. II.
ad an. 1601.
Thuan. lib.
126. Palat.
vit. Rudolphi.

Hoc rursus anno Transylvania ob Si-
 gismundi Bathorii inconstantiam
 novis tumultibus involvebatur; quippe
 hujus Principatus Proceres Michaelis
 Woywodæ seu Præfecti, qui tum Viennæ
 substiterat, absentia freti comitiis Clau-
 diopoli habitis Sigismundum in Tran-
 sylvaniæ Principem renuntiant, factam-
 que electionem præconis voce die quinta
 Februarii promulgant, ablegatis mox
 quatuor Oratoribus, qui absentem e
 Moldavia ad recapessendam pristinam
 dignitatem revocarent, oblato, si redire
 maturaret, homagii sacramento. Inte-
 rim

rim Tſchiakius qui absentis vices obi-
 bat, homo ad quævis audenda procli-
 vis, ut novi Principis gratiam aucupa-
 retur, Vagaroffam Michaelis Woiwodæ
 uxorem ejusque Filium Patrascum in
 arctiorem custodiam abducere constituit:
 Percepta hujus violentiæ atrocitate Mi-
 chael ira commotus nulla mora Pragam
 contendit, atque apud Rudolphum Cæ-
 saream iteratam Transylvanorum perfidiam,
 ac periculofam Sigismundi mobi-
 lilitatem acerbius exprobat, exulcerata
 mente violatæ fidei crimen haud parum
 acuate. Ut vero propriæ injuriæ vin-
 dictam alienis viribus eo potentius exe-
 rere posset, suam hucusque Cæsareæ
 Majestati non sine propriæ salutis ac for-
 tunarum discrimine fidem immote ser-
 uatam plenis buccis deprædicat. Daco-
 rum vero, ac Bathorii perfidiam nec-
 non Georgii Bastæ, dissimulato tamen
 ejus nomine, livorem acrius incusat, ac
 denique clam initam cum Turcis socie-
 tatem, cujus suspicionem incurrerat,
 auxilii adversus Cæsaris hostes neces-
 sitate excusat. Postremo tandem
 modicis duntaxat copiis roborari po-
 stulat, spe facta, quod brevi utpote lo-
 corum peritia imbutus, totam Provin-
 ciam ad Cæsaris obsequium redacturus
 sit. Hoc sermone permotus Imperator
 Woywodæ quantocius imperat, ut rupta

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

Sæc. XVII. omni mora Transylvaniam repeteret, junctisque cum Georgio Basta, cui Michael semper infestus erat, viribus recuperandæ ditioni intentus esset. Ergo relicta Praga Motinam contendit, ubi equitum peditumque recenti agmine ex Quadis delecto auctus, Georgio Bastæ, sicut jussus erat, sopitis verius, quam extinctis odiis sociatur.

Interim Sigismundus arrepti consilii haud ignarus datis ad Bastam literis suam deplorabat miseriam, criminis culpa in Tschiakium conjecta, qui se incio Provinciam perturbasset; dein præteritorum sibi gratiam fieri rogans, ut novos ad Cæsarem legatos decernere permetteretur, petebat. Paulopost tamen incredibili animi mobilitate nutare cæperat, datæque fidei, qua se Cæsari obstrinxerat, immemor, sollicitante Tschiaquio numerosum ex Hungaria, Moldavia, Ottomania, Polonia & Tartaria militem stipendiis conducere constituit, atque paucorum mensium intervallo quadraginta millium peditum equitumque exercitum feritate potius quam militaris disciplinæ usu formidandum contraxit. His igitur copiis instructus Mense Aprili ad finem vergente ad Transylvaniæ limites in editiore colle in Cæsareorum conspectu castra metatur, ac Vivaram deditione facta præter

ter alia munitiora castella recuperat: Sæc. XVII.
A C. 1601.
 Delibatis hisce victoriæ auspiciis Batho-
 rius a Tschiackio persuasus prælii fortu-
 nam e vestigio experiri voluit, ac suorum
 numero confusus die prima Augusti Mi-
 chaelem & Bastam, inopina celeritate
 in ipsis castris opprimere constituit:
 Attamen Cæsariani Duces in omnem
 hostis conatum intenti, cum hostem e
 sublimi colle in subjectam planitiem de-
 scendisse comperissent, immoti in suis
 castris confedere, tormentisque belli-
 cis in medio clivo dispositis Bathoria-
 nos graviter infestarunt, cum ex adver-
 so pilarum grandines, quos Transylvani
 detonabant, ob immodicam situs alti-
 tudinem hostium capita innoxio furore
 prætervolarent: pariter vero Cæsaria-
 nis suas cohortes de colle in æquum
 campum deducentibus, factaque utrin-
 que prælii copia Basta & Woywoda
 effusissima plumbearum glandium tem-
 pestate utrumque hostis latus continua-
 ta clade infestant, collatoque pede, con-
 fertaque manu præ ceteris primi Belgæ
 seu Wallones in mediam aciem acri im-
 petu facto invehuntur, hostiumque or-
 dines dextra lævaque perruptos disji-
 ciunt. Hos stupenda alacritate hinc
 Woywoda, illinc Basta cum suis secuti
 illatis signis, districtisque mucronibus in
 obvias phalanges, tanta pugnandi per-
 tinacia

Sæc. XVII. tinacia & cædis aviditate desæviant, ut
A. C. 1601. Bathoriani terga vertere cogerentur,
 amissis suorum in acie undecim milli-
 bus, ceteris partim captis, partim di-
 spersis, quos super incumbentes tene-
 bræ; a quarta enim pomeridiana hora
 dimicatio ad seram usque noctem pro-
 rogata est, a cædis periculo exemerant:
 ipse quoque Bathorius nonnisi generosi
 sui equi velocitate insequentium soler-
 tiam eludens, festinatis itineribus extra
 Daciæ fines per vastas solitudines salu-
 tem quærere cogitur: illius vero
 castra præter opimam prædam unacum
 quadraginta majoribus belli tormentis,
 & plusquam centum quinquaginta ve-
 xillis capta fuere, quæ omnia unacum
 Bathorii Archivo arcanis Scripturis re-
 fertur feria quinta post festum S. Lau-
 rentii Pragæ Rudolpho Cæsari tanquam
 victoriæ pignus, & militaris fortitudi-
 nis testimonium oblata fuere. In hoc
 tam acri diuturnoque conflictu trecenti
 neque plures ex Cæsarianis cecidere:
 victor autem exercitus Colosvariam
 deductus est.

§. IX.

*Michael Valachiæ Woywoda
 occisus.*

*Thuanus &
 Palatinus l. c.
 Istivanfius
 l. 31.* Attamen Michael victoriæ hujus feli-
 citatem, partamque inde nominis sui
 gloriam

gloriam valde obscurabat & insatiabilis honorum cupiditatis insolentiam usque adeo augebat, ut ad supremum totius Daciæ dominatum sibi suoque filio aditum per fas nefasque comparare decerneret: quocirca innata superbis omnibus pervicacia detrectare primum Cæsaris imperia cœpit, mox cum Turcis, Polonis aliisque Rudolphi Imperatoris hostibus armorum societatem inire constituit, Georgium quoque Bastam, quem ambitioni suæ obstitutum non abs re suspicabatur, atrociori quam unquam odio infectatus, dein tam in captos quam dedititios milites, aliosque Transylvanos quæsitam sæpius ob culpam tam inaudita crudelitatis licentia animadvertit, ut exulcerati incolæ non modo in Michaelem sed ipsum & Cæsarem, veluti tantæ atrocitatis authorem jurato odio exardescerent. Hæc agendi ratio Georgii Bastæ animo haud toleranda videbatur, quapropter Woywodam comiter invisens eundem hortatur, ut cædibus ac laniæ reorum, multoque magis infantium suppliciis limites poneret, & clandestinis cum Byzantino Monarcha collusionibus tandem intercis fidus Deo, fidelis Cæsari, placidus victis, fortisque humanæ memor esset: Hæc Bastæ monita adeo non ambitiosi hominis pertinaciam expugnare, ut arro-

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Sæc. XVII. arrogantius eidem hæc in responsis da-
A. C. 1601. ret: *nec Basta, nec Romano Imperatori*
quicquam juris in me est, in tribus Dacia-
rum Provinciis fortitudine mea perdomitis
meaque victoria subjugatis neminem me su-
periores agnosco. Ad tam audax res-
ponsum obstupuit Basta, dissimulata
tamen indignatione in castra sua rever-
sus evolutis aliquot diebus præcipuos
e Belliducibus Tribunisque in consilium
vocat, eisque seditiosa Michaelis verba,
spretamque Cæsaris Majestatem, ac
denique deplorandum Transylvaniæ sta-
tum exponit: His auditis una omnium
vox erat, tam effrænem insolentiam in
tempore esse coercendam, proin Woy-
wodam custodiæ tradendum, si que pa-
rere renuerit, morte plectendum. Il-
luxerat decima octava Augusti dies,
qua Georgius Basta Michaellem per Tri-
bunum ad se invitabat, quæsito obtentu,
quod super gravissimo belli negotio con-
ferre, ejusque consilium explorare ve-
lit: Recusat primo Valachus, instat, ur-
getque Tribunus, ac non modo Bastæ
imperio, sed interposito etiam Cæsaris,
cujus Legatione fungebatur, nomine
refragantem impensius compellit: ve-
rum is animo, quo erat obfirmatus, se
nullius imperio subjici reposuit. Nun-
tiata hominis pervicacia Georgius con-
festim duo Vallonum & totidem Ger-
mano

manorum vexilla expedit, ut rebellem Sæc. XVII.
comprehenderent. A. C. 1601.

Haud segniter miles iussa exequitur,
Michæel suorum opem inclamat, vimque
sibi iniquam inferri vociferans nudato
acinace in centurionem Germanum ir-
ruit: aste Vallonibus quidam nomine Bi-
nus Torcæ Præfectus ictum prævertit,
hastaque bipenni utrumque Woywodæ
latus transverberat, ceteri quoque uno
impetu in seminecem irruunt, caput
misero amputant, illudque Bastæ adhuc
in Senatu rei successum præstolanti de-
ferunt. Inde tumultuarius Wallacho-
rum concursus oritur, eorumque non-
nulli trucidantur, sedato tamen tumul-
tu Georgius Woywodæ tyrannidem,
cum Turcis societatem, jactas in Cæ-
sarem contumelias, rebellionem alia-
que gravissima crimina exponit, inque
veritatis testimonium in omnium con-
spectu reseratis arculis complures lite-
ras producit, in quibus cum Mahome-
te Turca, cum Chamo Tartaro, cum
Zamoscio Sarmata allisque inita adver-
sus Cæsarem, Austriacamque Domum
consilia detegebantur. Tum enimvero
ii etiam, qui Woywodæ necem ulturi
accurrerant, fœdam illius perfidiam de-
testantur, ejusque cadaver diem so-
lidum absque ullo honoris supremi ob-
sequio inhumatum, nudumque cis flu-
men

Sæc. XVII. men ad vesperam usque relinquunt,
 A. C. 1601. prætereuntium omnium oculis, ludi-
 brioque expositum, quod tamen nocte
 concubia Joannes Schnekenhausus mi-
 litiaë Tribunus terræ mandari iussit:
 mox a furenti milite tentorium ejus a-
 vide direptum. Hunc igitur vitæ, quam
 non nisi ad quadragesimum tertium æ-
 tatis annum protraxit, exitum habuit
 Michael Woywoda, formidandum va-
 riæ fortunæ ludibrium, ac crudelitatis,
 ambitionisque monumentum. Cete-
 rum sublato hoc tumultuum Auctore Va-
 lachi magno numero ad Cæsaris signa
 rediere, sequentique hyeme Basta re-
 cuperata Claudiopoli aliisque oppidis
 totam Provinciam Rudolphi imperio
 subjecit.

§. X.

*Quædam propositiones a Facultate
 Parisina damnatæ.*

*Argentre
 Conclus. Fa-
 cult. ad
 ann. 1601.*

Jam plures ante annos Claudius San-
 ctius Ebroicensis Episcopus ad Pa-
 risinam Facultatem Theologicam sex
 propositiones, quibus varii abusus pro-
 pugnabantur, damnandas proponebat,
 quas etiam eadem Facultas edito de-
 creto proscripserat: quia vero sensim
 doctrina in illis contenta, minusque
 sana reviviscere videretur, Lexoviensis
 Episco-

Episcopus illarum damnationem datis Sæc. XVII.
 ad Facultatem literis confirmari postu- A. C. 1601.
 labat, adjectis insuper duabus aliis as-
 sertionibus, per quas nonnulli Docto-
 res propugnare audebant, quod Fratres
 Mendicantes invitis etiam Episcopis ac
 Parochis libere verbum Dei in alienis
 Ecclesiis prædicare valeant: Igitur Fa-
 cultatis Doctores numero quadraginta
 tres hoc anno die prima Februarii in
 Sorbonensi Collegio congregati præsa-
 tas propositiones mature examinabant,
 ac primis sex iterata censura perstrictis
 reliquas duas tanquam schismaticas, hæ-
 reticasque damnabant, adjecta com-
 minatione, harum Propositionum Au-
 thores vel Defensores, si Doctores aut
 Baccalarei forent, a Facultatis gre-
 mio repellendos esse. Postmodum hæc
 assertiones unacum earum censura ad
 acta referri mandarunt: Haud segniori
 fervore, quo Facultas novis erroribus
 obstiterat, Henricus IV. Franciæ Rex
 in suo regno literarum studia promo-
 vere satagebat, hancque in rem Aquis
 sextiis hoc anno celebrem fundabat
 Academiam.

§. XI.

*Varia Disciplinæ Ecclesiasticæ statuta
 sub Clemente VIII. edita pro
 Confessariis.*

Cum

Sæc. XVII. **C**um Clemens VIII. pro bono Eccle-
 siæ regimine Pastoralem sollicitudi-
 nem suam ad conservandum Ecclesia-
 sticæ disciplinæ cultum singulari studio
 extendere, tam Cardinales, quam
 Episcopos incitabat, ut in variis Con-
 gregationibus vel dubia subinde pro-
 posita deciderent, vel contra irrepentes
 abusus opportuna adhiberent reme-
 dia: Eapropter in Congregatione Epi-
 scoporum & Regularium negotiis præ-
 posita die secunda Januarii auctoritate
 summi Pontificis decernebatur, quod
 Monialium Confessarii ad Sacrum ce-
 lebrandum clausuram ingredi non va-
 leant, additum tamen die decima octa-
 va Septembris, quod id liceat in prin-
 cipalibus anni Solemnitatibus ad Con-
 fessionis & Communionis Sacramenta
 illis ministranda, quæ adeo infirmæ
 sunt, ut neque per se neque aliarum
 ope ad Confessionale vel Communionis
 locum accedere valeant. Præterea eadem
 Congregatio die secunda Aprilis decla-
 ratum ibat, quod Excommunicatio
 latae sententiæ contra deferentem arma
 in Ecclesia imponenda non sit, die au-
 tem vigesima quinta Maji sancitum,
 quod absolutus a Censuris non censea-
 tur dispensatus ab irregularitate, neque
 in gratiis obtentis, ubi Papa solet di-
 cere, *harum serie absolventes.* Sequenti
 Mense

Congreg.
 Episcop.
 Matthæus
 in Offic. Cur.
 Reg. tom. 1.
 c. 13. Nicol.
 in Floscul.
 V. Clausur.
 33.

Mense die 19. Junii declaratum, quod **Sæc. XVII.**
 Archipresbyter licentiam audiendi Con- **A. C. 1601.**
 fessiones concedere nequeat, facultas
 quoque absolvendi in Bulla Cœnæ non
 concedatur regulariter in genere, sed
 tantum in Casibus particularibus. Die
 autem nona Januarii omnibus Sacer-
 dotibus præceptum, ne quis eorum sub
 quovis prætextu a casibus Bullæ Cœnæ
 claris vel dubiis, nec a casibus ab Epi-
 scopo reservatis vel reservandis excepto
 mortis articulo, vel speciali Pontificis
 aut Episcopi Licentia absolutionis be-
 neficium impendere præsumat, sed cum
 opus fuerit, Pœnitentibus ad legitimos
 Superiores accedere consulat: monen-
 tur tamen Episcopi, ut paucos tantum
 casus reservent. Regularium vero Su-
 periores (uti ex mandato Clementis VIII.
 cautum erat die decima tertia Martii)
 etiam Delegati requisiti a Confessariis
 prompte facultatem concedant absol-
 vendi Subditos a sibi reservatis, alio-
 quin Confessarius poterit absolvere ab
 illo casu absque facultate, quam tamen
 Pontifex Constit. 28. regularium Supe-
 rioribus die 26. Maji anno 1593. ita con-
 cessit, ut hi in singulis Domibus
 tres vel plures deputent, qui hac fa-
 cultate gaudeant, prius tamen idem
 Pontifex die decima Martii præcepit,
 ut in capitulo Generali vel Provinciali
Hist. Eccles. Tom. LIII. C fal-

*Congreg.
 Visit. Apost.
 Constit. 246.
 quæ incipit
 Sanctissimus.*

Sæc. XVII. saltem tres Religiosi eligerentur, qui
A. C. 1601. admittendos ad Confessiones diligenter
 simul examinent, priusquam approben-
 tur, & ad hujusmodi ministerium ad-
 mittantur. Infuper Ordinarii in decreto
 21 Januarii jubentur, ut si prudens du-
 bium habeant, an non quidam Regu-
 lares absque ejus approbatione Confes-
 siones excipiant, tunc sine rumoribus
 caute Patentes, ut vocant, sibi ostendi
 postulent, si vero (uti postea prima De-
 cembris sancitum est) quoscunque non
 promotos ad Sacerdotium Confessiones
 excepisse certo compererint, eos a foro
 Ecclesiastico abjiciant, ac degradatos
 statim Curiaæ sæculari tradant: de ce-
 tero autem die decima quinta Octobris
 decretum habetur, quod Presbyteris
 liberum sit confiteri, cuicumque voluerint
 etiam Regulari ex approbatis: Quoniam
 vero indiscreta quorundam pietate ad
 arbitrium præter communes & appro-
 batas in ipsa etiam Italia decantarentur
 novæ sæpius preces, quas lity-
 nias vocant, hinc a S. Inquisitione de-
 claratum, quod ejusmodi litanias sine
 approbatione Ordinarii nec edi nec
 publice recitari valeant, sub poenis (ul-
 tra peccatum) arbitrio Ordinarii in-
 fligendis.

*Constit. 81. a-
 pud Cherub.
 Bull. tom. 3.
 Vide Breve
 Greg. XIII.
 ann. 1580.
 15. April.*

§. XII.

Alia statuta circa Ecclesiae Ritus.

Quoniam vero per debitam Rituum observantiam Dei, Sanctorumque veneratione, & Christiani populi eruditio plurimum promoveatur, necnon fidelium mentes ad Divinarum rerum contemplationem eleventur, hinc Sacra Rituum Congregatio jam olim a Sixto V. Pontifice erecta ad removendos, qui sensim irreperant, abusus annuente Clemente VIII. varia decreta hoc anno edidit, & quidem primo die vigesima septima Martii minus decens esse declaravit, ut Musica in Officio quadragesimali praesertim cum Instrumentis fiat, aut exinde scandali occasio oriatur. Die duodecima Martii declaratum, quod nomine Processionum generalium comprehendantur rogationes, sique (decreverunt Patres die undecima Aprilis) Episcopus in die Palmarum unacum Capitulo, & Clero Processionaliter ad Monasterium Regularium recedere teneatur, ipse solus debeat benedicere Palmas, non vero Abbas. Varia etiam decisa fuere circa Episcopos, ac quidem die quinta Februarii necnon tertia & undecima Septembris declaratum, quod Episcopus suum Vicarium amovere

C 2

queat,

Saec. XVII.
A. C. 1601.

Congreg.
Episc. Congreg.
Rituum.

Sæc. XVII. queat, si de eo multæ gravesque que-
 A. C. 1601. relæ audiantur, si scribat irreverenter
 ad S. Congreg. ejusque officiales, sique
 circumspèctione & prudentia careat,
 etsi in reliquis sit idoneus: pariter die
 secunda Maji sancitum, quod Episco-
 pus uti nequeat Cappa in accessu ad Ec-
 clesiam, nisi in majoribus festivitatis,
 insuper die decima sexta Junii orta qua-
 dam contentione responsum, quod Epi-
 scopus, licet habeat annexum Canoni-
 catum, non tamen teneatur obire fun-
 ctiones Canonicales, nec etiam Legato
 præsentè in Civitate potest uti Mozzeta
 neque Roccheto discooperto, nec bene-
 dicere populo, sed intra Ecclesiam eo
 absente, vel annuente potest benedicere,
 ut S. Rituum Congregatio die se-
 cunda Octobris decidit: prius vero se-
 ptima Decembris statutum est, ut Epi-
 scopus quotannis olea Sacra conficiat,
 suæque Diæcesis Presbyteris distribui
 curet, combustis veteribus, quæ ad-
 hiberi prohibentur, postquam nova fue-
 rint consecrata. Circa Protonotarios
 Apostolicos pariter die decima sexta
 Maji sancitum habetur, quod Canoni-
 cis sigillatim non autem cum toto Colle-
 gio incedentibus præcedere debeant, li-
 cet Canonicus celebrans in choro Ar-
 chipresbyterum præcedat: prohibetur e-
 tiam ne ratione sui Protonotariatus mu-
 nera

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

nera ad alios de jure vel consuetudine spectantia sibi vendicet. Protonotarius autem Titularis non participans apponere pileum super insigniis suis, & annulum, sine gemma dum celebrat, gestare possit: nullatenus tamen, dum celebrat more Prælatorum Abacum præparare valeat: Ita decretum die vigesima prima Augusti: Denique die decima tertia Julii sancitum est, quod in Altari Privilegiato pro defunctis celebrandæ sint *Missæ de requiem* ita, ut secus indultum non suffragetur, licet hoc forte in ipso Indulto non exprimatur, huic quoque die undecima Octobris adjectum est, quod Sacerdos *Missam novam* celebrans oblationes accipere valeat, dummodo ab altari non discedat, prohibitum quoque die vigesima quinta ejusdem Mensis, ne Concilio ex Odeo habeatur, maxime ubi pro more Cathedra est erecta. Præterea eodem anno alia adhuc prodire decreta circa Canonicos, de quibus die 12. Januarii sancitum, quod regulariter ad audiendas Confessiones, nisi habeant curam animarum, cogendi non sint: pro hac tamen cura exercenda certæ sint designandæ Personæ: die autem vigesima Februarii statutum legitur, quod Conciones quadragesimales in Parochiali Ecclesia non valeant prohiberi eo titulo, ut frequentior sit Populus

Concil. VII.
Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Sæc. XVII. pulus in Cathedrali. Insuper die vi-
A. C. 1601. gesima septima Martii decernebatur,
 quod Canonici non teneantur pacem aut
 Missam privatam Episcopo dicere, nisi
 adsit usus contrarius: vicissim vero Epi-
 scopus Canonicis nequeat majorem so-
 lito vacationem scilicet ultra tres Men-
 ses in quolibet anno concedere. Insu-
 per Congregatio Episcoporum die octavo
 Augusti declarabat, quod in Canonicis
 ejusdem Ordinis quoad præcedentiam
 attendatur tempus, quo fuerunt provisi
 de Canonicatu, non autem suscepto-
 rum Ordinum: denique vigesima die
 ejusdem Mensis statutum est, quod ad
 Capitulum congregandum non exigatur
 licentia Episcopi, si alias absque ea
 congregari solitum erat: & tertia Sep-
 tembris sanciebatur, quod si Canoni-
 cus jussu Superioris pro commodo suæ
 Ecclesiæ celebret, reputetur præsens
 in Choro.

§. XIII.

*Beatus Raymundus Sanctorum fastis
 adscriptus.*

*Constit. 77.
 Clem. VIII.
 Bullar.
 Bzovius in
 annal. ad
 hunc ann.* Eodem hoc anno Clemens VIII. Bea-
 tum Raymundum a Penna Forti seu
 Rupe forti Catalogo Divorum canonicis
 ritibus Romæ intulit. Hic Barcinone
 in Catalaunia circa annum Domini mil-
 lesimum

lesimum centesimum septuagesimum quintum Nobili genere natus humaniores literas adolescens domi didicit, postea Bononiam delatus exiguo prorsus tempore in utriusque Jurisprudentiæ studio tam insignem fecerat profectum, ut Doctoratus laurea decoratus publice cum maximo audientium plausu fructuque Sacros Canones publice interpretaretur. Inde vero post aliquot annorum decursum a Berengario Barcinonensi Episcopo summis precibus in patriam redire rogatus, ibidem primo Canonicus ac demum Præpositus renuntiabatur; cum autem perurgente Divini Spiritus æstu semper ad perfectiorem vitæ gradum anhellaret, anno ætatis suæ quadragesimo quinto abdicatis omnibus honoribus in Sacro Fratrum Prædicatorum Ordine sese solempni sponsione Deo totum consecrabat, ubi in jugi Divinæ legis meditatione, virtutumque exercitiis assiduus profunda humilitate, ac divina charitate sese celebrem reddebat: nec contentus, ut sibi prodesset, proximi utilitatem omnibus modis promovere satagebat, quocirca divino ex nutu Ordinem de Mercede Redemptionis Captivorum præscriptis statutis roborans, eidem Sanctum Petrum Nola-
scum primum Generalem præposuit, inde a Joanne Cardinali Sabinensi Episcopo

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Sæc. XVII. scopo Sedis Apostolicæ Legato in præ-
 A. C. 1601. dicandæ Sacræ militiæ socium selectus
 expleto munere Romam venit, a Gre-
 gorio IX. Papa accitus, cujus etiam sa-
 cris confessionibus & Apostolici Palatii
 cognoscendis caussis atque controversiis
 præficietur; recusato autem, quem
 ei Pontifex obtulerat, Archiepiscopatu
 Tarraconensi totum sese pietatis operi-
 bus, ac elucubrandis evolvendisque
 libris dicabat, unde factum, ut sancti-
 moniæ non minus, ac eruditionis fama
 undique percrebescente ab eodem Pon-
 tifice seligeretur, ut Sanctorum Patrum
 sententias, veterum Synodorum Cano-
 nes, ac Pontificum Sanctiones ad com-
 munem omnium utilitatem in compen-
 dium redigeret, quam etiam secundam
 Corporis Canonici juris partem, quæ
 nostra adhuc ætate *Decretalium* nomen
 ab ipso Authore impositum conservat,
 triennali labore feliciter absolvit, ac-
 cito in lucubrationis socium Bran-
 caleone, qui ex Canonico Regulari Con-
 gregationis Lucensis S. Fridani ab In-
 nocentio III. Cardinalis creatus jussu
 Gregorii Papæ hoc onus in se susceperat.
 Hoc igitur studio perfunctus Ray-
 mundus intra Religionis septa, invitus
 licet & absens tertius Ordinis supremus
 Magister Bononiæ renuntiatur, quo
 tamen munere vir humillimus expleto
 biennio

biennio sponte se abdicabat; ut sanctæ Sæc. XVII.
 quieti eo liberius vacare posset, qua A. C. 1601.
 men haud diu frui licebat; quippe paulo
 post unacum a Jacobo I. Arragoniæ
 Rege, cujus conscientiæ moderandæ
 præficietur, Majoricam Insulam pe-
 tere jubebatur, ubi vero a piis suis
 monitis Regem obstinatius obluçantem
 viderat, ab aula clam aufugere medi-
 tatur: comperto hoc consilio Rex equi-
 dem, ne ullo pacto per mare in conti-
 nentem transportaretur, Raymundus
 omni navi, nauta, remisque destitu-
 tus suo duntaxat pallio super aquas
 expanso insitit, ac centum, & sexa-
 ginta miliarium itinere intra sex hora-
 rum spatium Pelagus a littore Majori-
 cano ad Catalanicum usque trajecit.
 Tandem cælo maturus anno ætatis suæ
 centesimo, salutis vero nostræ millesi-
 mo ducentesimo septuagesimo quinto
 Sacris tribus Regibus festo die animam
 Deo reddidit: demum post annos a pri-
 ma sepultura trecentos ac viginti quin-
 que solemnè pompa refossus a Clemente
 VIII. die vigesima nona Aprilis Sancto-
 rum albo inscriptus est. Reliquit in-
 super inter cetera eruditionis suæ mo-
 numenta libros quatuor de casibus Pœ-
 nentialibus, præter librum de pœni-
 tentia & matrimonio, quod opus Co-
 loniæ anno Domini millesimo quingen-
 telimo

Sæc. XVII. telimo secundo velut in Synopfi editum
 A. C. 1601. tandem Romæ integrum anno Salutis
 nostræ millesimo sexcentesimo tertio
 publicam lucem aspexit.

§. XIV.

*Papa ad Bellum Hungaricum adver-
 sus Turcas Christianos Prin-
 cipes sollicitans.*

Tuan. Hist. **C**anisæ priori anno amissæ jactura tam
lib. 126. impotenti dolore Cæsaris animum
Sagredo laniebat, ut non modo hanc Sedem
mem. hist. ad suam recuperare, sed & bello totis vi-
ann. 1601. ribus redintegrato Turcarum poten-
Han. l. cit. tiam frangere niteretur: pari etiam fer-
 vore ardebat Clemens Papa Christianæ
 reipublicæ salutis semper intentissimus,
 ad quem Rudolphus Imperator Die-
 trichsteinium Cardinalem armorum sup-
 petias sollicitaturum ablegabat. Expe-
 riebat is quidem Papam jam aliunde
 ad ferendam opem paratissimum, quem
 tamen, cum ad Canisæ obsidionem de-
 nuo tentandam valde propensum cer-
 neret, ab hoc proposito dimovere ni-
 tebatur, exponens, hanc expeditio-
 nem ob paladum profunditatem esse
 summo opere arduam, magis vero expe-
 ditam fore Budæ obsidionem: attamen
 Papa abs dubio a Ferdinando Archi-
 duce

duce & Sessæ Duce Hispaniæ Regis O-
 ratore sollicitatus hæc Cardinali repo-
 suit: Canisa janua est, per quam in
 interiora Italiæ hostes penetrare, & nul-
 lo ferme negotio Græcium usque arma
 sua protendere possent: Accepto hoc
 responso Dietrichsteinus Pragam ad
 Cæsarem contendit. Paulopost tamen
 nuntiatum, quod summus Pontifex
 quinque Tribunos selegerit, qui duo-
 decim millia peditum conscriberent,
 quibus summo imperio præesset Fran-
 ciscus Aldobrandinus Papæ Nepos:
 His nondum contentus Pontifex, foedus
 inter Principes Catholicos pangendum
 proposuit. Ast præprimis ad Henricum
 IV. Galliarum Regem conversus ab eo
 in responsis ferebat, quod Papa præ
 ceteris Hispaniæ Regem sollicitaret,
 eoquod hic hucusque in opprimenda
 Francia Thesauros profudisset, contra
 Turcas vero otiosus spectator substi-
 tisset: ipse Henricus, ut militem in
 regno suo conduceret, lubenter Ponti-
 fici concederet, majora tamen tentare
 nollet, nisi prius Hispani semitam ape-
 rirerent. Veneti quoque a Papa requisiti
 obtendebant, quod ceteris omnibus
 diuturniori adversus infideles bello ma-
 ritimo exhausti, ut Barbaros placarent,
 pretiosissima quæque profudissent: præi-
 rent itaque Reges, ac demum & ipsi,
 prom-

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

Sæc. XVII. prompte fecuturi essent. Sabaudia
 A. C. 1601. vero dux pariter a Papa animatus Ge-
 nevæ obsidionem longe magis proficua-
 fore respondit. Tota igitur belli mo-
 les relicta videbatur summo Pontifici,
 ac Rudolpho Cæsari, qui præter copias
 ad Canisæ obsidionem destinatas binos
 insuper exercitus, unum in Pannonia
 sub Duce Mercuriano, alterum in Tran-
 sylvania sub imperio Bastæ alere co-
 gebatur.

§. XV.

De Canisæ obsidione actum.

Sagredo
l. c.

Iterata hac Principum Christianorum
 repulsa Clemens Papa minime terri-
 tus firmiter præconceptæ obsidionis
 proposito inhærebat, haud parum a
 Patre Segala Jesuita animatus, qui non
 ita pridem Constantinopoli redux Ot-
 tomanicum Imperium veluti viribus ex-
 haustum immodice deprimebat, edif-
 ferens, quod cuncta ibidem ad in-
 solens cujusdam imbecillis foeminae ar-
 bitrium regerentur, ac ipsemet Sulta-
 nus nonnisi luxui & libidini deditus ar-
 tis bellicæ omnino ignarus esset, proin-
 ejus potentia non sine magna prosperi
 successus spe facili negotio frangi pos-
 set. Contrahitur itaque in Caroli Se-
 rini Comitis ditone inter Murrhæ &
 Dravi

Dravi confinia totus exercitus, in quo Sæc. XVII.
 ex Pontificiis duodecim millia, ex Hi- A. C. 1601.
 spanis sex & undecim millia partim ex
 Mantuanis & Ethruscis numerabantur:
 Expeditioni cum summo imperio præer-
 rat Ferdinandus Archidux Caroli Frater
 unacum Vincentio Mantuæ Duce ejus
 Vicario: Hispanas vero copias ducebat
 Ferdinandus Madrutius. Varii autem
 iique funesti casus de prospero tanti
 apparatus successu triste omen fuere;
 quippe Sigismundus Turrianus Topar-
 cha, qui Protestantibus summe infen-
 sus hanc expeditionem apud Pontifi-
 cem impense urgebat, Mense Junio ad
 finem vergente, cum prope Goritiam
 Ignam fluvium, qui sæpius vix non saltu
 pedisque passu permeari poterat, forte
 exundantem trajiceret, curru everso
 unacum numerofo famulatio suo aquis
 haustus periit. Præterea Franciscus
 Aldobrandinus in itinere febris violenta
 correptus, ac Varadinum delatus, ante-
 quam in Pannoniam pervenisset, non
 sine ingenti suorum luctu obiit, cui postea
 Flaminius Delfinus successerat. Tan-
 dem Herbensteinius Comes, cui tota
 obsidionis moles commissa est, cum suis
 Durnischum pervenit, quo etiam Fer-
 dinandus Archidux Græcio profectus
 sub finem Mensis Augusti cum præto-
 rio vexillo sese contulerat, cumque lust-
 randis

Sæc. XVII. A. C. 1601. randis copiis aliquot dies infumpti fuif-
 sent, de repente nuntiatum, copiosam
 annonam unacum milite Canisam ad-
 vehi: nulla igitur mora Herbensteinus
 cum equitatu suo, qui Turcas in itinere
 interciperet, emittitur: ast intempesti-
 va Italorum æmulatione factum, ut
 ipsis viarum ignaris commeatus intra
 urbem incolumis immitteretur. Interea
 Turcæ, ut bello parando tempus nan-
 ciscerentur, pacem exorare simulabant.
 præprimis vero Strigonium & Vialla-
 cum sibi restitui postulantes repulsam
 tulere: nihilominus die duodecima
 Maji locus ad ineundam pacem designa-
 tus, detectis tamen Turcarum dolis re
 infecta discessum.

§. XVI.

*Infaustus Canisinae expeditionis
 successus.*

Ineunte Mense Septembri motis Dor-
 nischo castris tandem ad Coderibam
 oppidum altero milliari Canisa dissitum
 non sine maximis itinerum molestiis
 prope Murrham flumen perventum est,
 ubi crebræ ac profundissimæ paludes
 & lacunæ non sine gravi temporis ex-
 peditionisque dispendio vix superari po-
 tuissent, nisi vehemens victoriæ amor,
 ac infractus militum animus cunctas
 hæc

haec viarum locorumque asperitates tam feliciter deglutivisset, ut tandem octavo post die belli tormenta exsiccatis locis imponi potuerint. Adhucdum tamen coelum ipsum pro Turcis pugnare videbatur; quippe ventorum vehementia, ac ruptae nubium cataractae viarum difficultates tantopere augebant, ut nullo pacto commeatus in castra inveni potuisset, nisi pons, quod unicuique militi adiumentum in arctis deprehensio necessitas reliquerat, in palude stratus fuisset, quo hinc inde transitus opportunitas patebat. Tandem die nona ejusdem Mensis obsidioni datum est initium, ac Christiani iterata tormentorum explosione obsessos diu noctuque infestantes propugnaculi mania versus Septentrionem magna ex parte nudabant, Orphæo Gallone rei tormentariae Praefecto strenue bellicos labores urgente, qui tamen tormenti globo trajectus occubuit. Nec segnius Hassan Bassa Urbis Gubernator, qui indicta capitis poena sese dedere prohibitus erat, non modo Belliducis, sed & gregarii militis partes agebat, ac continuata explosione in Italicum Peditatum detonabat: utque Archidux crebras Turcarum eruptiones refrænaret, ea parte, quae Murrham respicit, propugnaculum erexit, constructoque ponte

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

Sæc. XVII. A. C. 1601. ponte arcem undique cinxit, traducto
 in alteram ripam exercitu: parum ta-
 men ingeniosa hæc Archiducis indust-
 ria proderat; quippe Bassa cum decem
 fuorum millibus noctu erumpens, cun-
 ctos ferme tormentorum suggestus, &
 valla destruxit, incensisque vimineis
 fascibus obsidentium Balistas & machi-
 nas disjecit: unde nova bellandi arte
 damnum refarcire oportebat, nec sine
 prospero laboris lucro; quippe actis cu-
 nicularis, constructoque propugnaculo
 brevi tempore cunctæ hostium munitio-
 nes, oppositique aggeres everfi sunt,
 adempto obsessis tormentorum hucus-
 que adeo infestorum usu: turris etiam,
 ex qua Turcæ effusissima glandium tem-
 pestate in Cæsareos fulminabant, tanta
 murorum strage dejecta est, ut ipsa do-
 mus, in qua Hassan Præfectus perno-
 ctabat, libero conspectui patesceret: al-
 tera ex parte Pontificis copiæ fossam
 admodum profundam fasciculis ceteras-
 que palustres voragines variis fermen-
 tis implebant, nova aliaque indies belli
 instrumenta excogitantes, quo in opere
 per crebras hostium eruptiones non sine
 magna suorum clade, tantoque temporis
 dispendio interrompebantur, ut unicum
 etiam palmi accessum ad urbem non-
 nisi copiose effusi sanguinis pretio re-
 dimere cogerentur. Nec intra hosce
 limites

limites oppugnantium calamitas stetit; Sæc. XVII.
A. C. 1601.
 quippe nocte Septembris die vigesimum
 septimum insequente, terræ sphaera tam
 horrido ventorum turbine, tamque tre-
 mendo, ac dudum continuato tremo-
 ris tumultu concutiebatur, ut ab Au-
 roræ plagis in Occidentis usque fines
 ac trans Oceanum Atlanticum univer-
 sa quaterentur: inde vero ingens ter-
 ror, damnumque Christianorum castris
 illatum: quocirca Herbensteinus du-
 rioris tempestatis iniquitatem, ac ex-
 eunte jamjam Mense Octobri immi-
 nentis brumæ rigorem veritus, cunctis
 viribus oppugnationem urgere cæpit,
 unde die vigesima sexta Octobris redinte-
 grata verberatione, dejectisque opposi-
 tis Turcarum propugnaculis Cæsarei
 hostile munimentum invadunt, postri-
 die autem Hispani & Itali junctis viri-
 bus Canisiense castrum aggrediuntur,
 irritum tamen conatu; quippe ponti-
 bus longitudinem fossæ, quæ superanda
 obstabat, non æquantibus, ex oppug-
 nantibus quamplurimi in subjectas aquas
 ab ipsis suis commilitonibus, qui rerum
 ignari focios suos anteriores toto im-
 petu urgebant, impulsu partim in lutosa
 palude sepulti peribant, partim Turca-
 rum ludibrio, certisque ictibus impune
 expositi cadebant. Herbensteinus, qui
 ipse cingulo tenus in aquis hærebat,

Hist. Eccles. Tom. LIII.

D voce

Sæc. XVII. voce manibus exemploque suos nequie
 A. C. 1601. quam hortabatur, ut hostile vadum per-
 rumpere niterentur, attamen Hispanis
 Italisque eodem tempore a Canisientis
 arce depulsis Cæsarei retrocedere coacti
 sunt: Accurrerat equidem Roswurmus
 a Mercurio Duce cum duobus equitum
 & sex peditum millibus submissus: ve-
 rum fera nimis erant hæc auxilia, at-
 que insuper nocte proxima tanta frigo-
 ris immanitas, ventique mortifera vis
 recentem hunc militem oppræsserat, ut
 eorum plusquam mille obriguerint, ac
 misere gelu perierint. Post tantam igitur
 adversæ fortunæ calamitatem ob-
 sidio soluta est, dimisso in vicinos Pagos
 exercitu. Periere autem in hac oppu-
 gnatione Christianorum plusquam quin-
 que millia, nec minor erat sauciorum
 numerus, ex quibus potissimi, cum ob
 equorum defectum transferri haud pos-
 sent, Barbarorum gladiis misere jugu-
 lati sunt, tormenta quoque bellica cæ-
 no infixæ unacum impedimentis ho-
 stium prædæ relicta fuere.

§. XVII.

Alba Regalis a Cæsarianis capta.

*Daniel hist.
 de France
 tom. 10.
 Thuan. l. c.
 Palatius in
 vita Ru-
 dolphi II.*

Nondum soluta erat Canisæ ob-
 sidio, cum Albæ Regalis expugnatio, & qui-
 dem feliciori armorum successu tentare-
 tur,

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

tur, ductore Philippo Emanuele Mercurio, cui e Lotharingia evocato Rudolphus Cæsar supremam exercitus curam commiserat. Is ergo die tertia Septembris Comora, cujus arcem Cæsarei admoto crepitaculo non ita pridem occupaverant, profectus inopinato Albam pervenit, cui paulopost sese conjunxerat Christophorus Roswurmus Bellidux, qui non sine molestia superatis paludum difficultatibus antelucano tempore ad suburbium Zigetanum cum mille de suis copiis castra posuit, illudque superata Turcarum oppugnantium pertinacia occupavit. Mox Mercurius Dux oppugnantium ejulatu, velut classico animatus altera ex parte præfatum suburbium aggreditur, apertisque castris vallibus, ac patefacta muri ruina irruptionem facit, primumque propugnaculum expugnat. Tam inopinatu terri Turcæ, Starembegio Comite & Althemio Principe cum suis toto impetu irruentibus, in oppidum relictis suburbiis trepida fuga recessere: mox vero Mercurius quatuordecim ænea belli tormenta, a Turcis relicta contra urbem dirigit, editaque murorum ruina per preconem obsessos deditionem facere jubet, superbo autem responso accepto, quod mandato haud poterat suo, id per obfirmatam armorum violentiam

D 2

per-

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

perfringere statuit, dispolis que omnibus belli tormentis mænia quaterre incipit. Tum equidem ultima pestis urbi fuit, quippe largo hiatu subrutus erat murus, cujus ruinas certatim Cæsarei involant; ac per mutuas cædes & cadauera viam sibi sternentes non ætati non formæ nec sexui parcent, sed uno miscentes interitu, ut quemque de hostibus fors obviam dederat, nullo discrimine trucidant: nec tamen Turcæ ultam suorum cladem reliquere; quippe Christianis ad nobiliores Turcarum ædes prædatum convolantibus Bassa cuniculis ignem admoveri jussit, unde murorum ruinis Barbari cum Cæsareis promiscua clade opprimebantur: nihilominus Præsidarii numero & fortitudinem cedere coacti sese victorum arbitrio commiserunt. Periere e Turcis mille ducenti, captis quamplurimis, qui in munitioribus suis ædibus aut templis inclusi latebant. Præda magis opima Wallonibus cessit, qui immani crudelitate indomitique furiis in Turcas imo ipsa etiam Pannoniæ Regum ossa debacchabantur.

§. XVIII.

Auxiliares Turcarum copię a Mercurio cæsæ.

Capta

Capta feliciter urbe Mercurius ea qua ^{Sæc. XVII.}
 potuit, celeritate murorum ruinas ^{A. C. 1601,}
 refici curabat, impositoque quinque Ve-
 xillorum præsidio Richardum Staren-
 bergium præficiebat, castella vero vi-
 cina aut vi capta aut a fugientibus Tur-
 cis recepta fuere: his ita dispositis cast-
 risque ad vicinam sylvam promotis
 Muhamedes Kihaja Budæ Præfectus
 exercitu triginta ferme millium per mon-
 tana circumducto die decima Octobris
 laboranti urbi succurrere festinat: ast
 accepto deditiois nuntio Cæsareorum
 castra aggredi statuit: quocirca Mat-
 thias Archidux, cum rem ad prælii ne-
 cessitatem pervenisse cerneret, unacum
 Mercurio aciem instruit, initoque cer-
 tamine hostes in fugam vertit, captis
 aliquot tormentis: nec tamen propterea
 Turcarum animositas sedata est; quip-
 pe dextero latere vallum totis viribus
 aggrediuntur, Hussaris strenue quidem
 decertantibus, prævalente tamen ho-
 stium numero cedere coactis: quo fa-
 ctum, ut Barbari, quorum audaciam
 comprobatae violentiæ felicitas acue-
 bat, totam furoris sui vim in proximum
 aggerem effunderent, ac patefacto hiatu
 ferme trecenti impune irruerent, quos
 tamen data opera intromissos Tribunus
 tam denso globorum igneorum grand-
 ine exceptit, ut improvidæ temeritatis

Sæc. XVII. suæ poenam numerosa suorum clade,
A. C. 1601. turpique ceterorum fuga luere cogeren-
 tur. Interea Mercurius instructam ac-
 ciem adversus Turcarum phalanges ad-
 movet, octo equitum legionibus, toti-
 demque peditum vexillis auctus, mox-
 que infideles agro nuper amisso dejicit,
 occuparisque novem belli tormentis ho-
 stem ad urbis vicinia pollicit: postri-
 die autem promotis castris Cæsareis
 montem quemdam a Turcis, ut anno-
 nam eo advectam interciperent, occupa-
 tum non minus strenue aggrediuntur, ac
 feliciter occupant: Altera die Mercurio
 e montanis longius progrediente, ipsi
 etiam Turcæ propius nostros insequi pa-
 rant, data occasione illos aggressuri.
 Interea numerofo agmine alteram, qua
 annona ad Cæsareos devehebatur, viam
 obsident, brevi tamen aufugere com-
 pulsi, violentius instantibus Preuerii
 Comitibus equitibus. Tandem Janissari-
 tribus locis nostrum aggrediuntur exer-
 citum, explosisque belli tormentis Tur-
 nii Equitatum graviter infestant, tan-
 toque impetu in Cæsareos irruunt, ut
 Hussaris sensim pedem referentibus tota
 acies nutare inciperet, mox autem re-
 dintegrato certamine, diu æquis viri-
 bus dimicatum. Tandem vero adducto
 recenti milite hostes die decima octava
 Octobris post pertinacissimam impressio-
 nem

nem in fugam acti sunt, dissipatos tamen, cum pugna in noctem protracta esset, victor miles insequi haud poterat. In hoc autem conflictu cæsa sunt Turcarum duo millia, atque in iis Mehemet-Bassa & Kihaiia Budensis Præfectus præter septem alios Tribunos, ex parte Cæsareorum desiderati sunt duntaxat trecenti. Tantulo impendio stetit celebris hæc victoria, qua parta, cum ob imbrium frequentiam spes omnis Albæ recuperandæ Turcis adempta esset, castris incensis Archidux unacum Mercurio Viennam profectus est.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XIX.

Turcarum Imperatoris Legatus ad Franciæ Regem.

Hujus urbis jactura tam intimo dolore laniabat Mahometis III. Ottomanici Imperatoris animum, ut pejoris adhuc fortunæ ludibria veritus Principes Christianos, quos prosperi successus felicitate ad æqualis gloriæ æmulationem excitari præsenferat, a fœdere cum Cæsareis pangendo avertere totis viribus niteretur: hanc in rem Bartholomæum de Cuevo patria Massiliensem, ac fidei Christianæ desertorem absque tamen splendido comitatu ad Henricum IV. Galliarum Regem ablegat,

Daniel hist.
de France
tom. 10.
Cayet ad
ann. 1601.

D 4

dato

Sæc. XVII. dato negotio, ut eidem præprimis sup-
A. C. 1601. plicaret, quatenus Principum Catholi-
 corum societati, quam Papa adversus
 Imperium Ottomanicum conciliare ni-
 teretur, nullatenus nomen suum daret,
 sed potius ipsum etiam Rudolphum Cæ-
 sare[m] eo inducere vellet, ut cum Tur-
 cis inducias pacisceretur. Postremo
 postulabat hic Orator, ut Rex Mercu-
 rium Ducem, utpote clientem fiducia-
 rio jure obstrictum, in Franciam e ca-
 stris evocare haud cunctaretur. Hoc
 unicum erat Legationis argumentum;
 iniquo enim animo ferebat Mahometes,
 quod quamplurimi Franciæ Principes
 Cæsaris castra sequerentur; sciebat e-
 nim, quod præter Mercurium Ducem
 Jonvillanus Dux & Nivernensis Prin-
 ce[ps] partim sub Rudolphi Cæsaris
 partim sub Archiducis signis militarent,
 eorumque exemplo incitati quamplu-
 rimi honorariam militiam in Hungaria
 profiterentur. Attamen Rex hunc Ora-
 torem vagis duntaxat verbis dimittens
 Mahometi significari præcepit, quod
 Mercurium revocare sibi integrum non
 foret; quamvis enim cliens suus esset,
 pari tamen jure ipsi etiam Cæsari de-
 vinc[tus] militaria eidem obsequia præ-
 stare teneretur.

§. XX.

*Albanenses a Venetis contra Turcas
opem efflagitantes.*

Hoc item anno Epirotæ, seu Albanenses nomine totius Nationis duos Legatos, Zapatensem Episcopum & Paulum Ducagninum magni nominis Præto-<sup>Joan. Sa-
gredo hist.
ottom. l. 10.</sup>rem ad Venetam Rempubli-
cam ablegabant, opem adversus diras Turcarum
oppressiones petituros. Hi obtenta al-
loquii copia perpeffas hucusque cala-
mitates his verbis exprimebant. „Ex
„Bellicosa Natione nostra, generis nobi-
„litate æque ac veneranda canitie cele-
„briores Viri in Ecclesia Sancto Alexan-
„dro sacra calamitates, violentias, du-
„ram servitutum, ac communem op-
„pressionem, quam tantopere a Turcis
„perpeffi sunt, sanguineis ferme lacri-
„mis deplorant; notum vobis est, quam
„violentis exactionibus nos premant,
„quam insatiabili avaritia nos bonis,
„& facultatibus nostris spolient & san-
„guinem nostrum nostrosque Filios in
„annui tributi compensationem rapiant,
„quam effræni libidinis licentia filias
„uxoresque nostras ad se perductas, con-
„tra fas pudoremque retineant, vitam-
„que nostram Mahometicæ superstitionis
„simulatione redimere cogant, quin

D 5

„imo

Sæc. XVII. „imo non alio ex fine nobis vitæ veniam
 A. C. 1601. „concedunt, nisi ut nos lenta morte
 „perimant: Nunc ergo tempus arridet,
 „ut patientia tamdiu fatigata Tyrannici
 „jugi ferrum rumpat, & ex hoc arme-
 „tur aut pro libertate recuperanda, aut
 „morte gloriose obeunda: Ottomani-
 „cum Imperium milite, auro, viribus-
 „que exhaustum, econtrario nostram
 „regionem argento, auro, omnique ne-
 „cessaria suppellectile feracem esse, ipsi
 „scitis: certa igitur prosperæ expeditio-
 „nis spes affulget, dummodo generoso
 „Nationis nostræ proposito Christiani
 „Principes ac præprimis vestra Respu-
 „blica, cujus potentissimum auxilium im-
 „ploramus, conspiret: Equidem preces
 „nostras pariter ad summum Pontificem
 „& Hispaniæ Regem convertere statui-
 „mus, attamen istius suppetias nimis in-
 „firmas, hujus vero admodum remotas
 „fore comperimus: vestra autem auxi-
 „lia ceteris magis valida, magis pro-
 „pinqua sunt: cum ergo nostris cordibus
 „implantata sit Religio, fides, & af-
 „fectus erga Venetam Dominationem,
 „lubenter vobis obsequii nostri homa-
 „gium offerimus: præsto insuper sunt
 „quadraginta millia juvenum, qui ad
 „arma expediti vestra jussa expectant,
 „totidem facili negotio ex vicinis Pro-
 „vinciis confluent, expansoque Divi
 „Marci

„Marci vexillo certatim omnes accu-
 „rent, vitam & Sanguinem pro redimen-
 „da libertate litaturi: hanc ob rem nos
 „corda nostra per hosce Legatos vobis
 „offerimus, parati aut in libertate vivere,
 „aut pro patria mori.„ Equidem Ve-
 netorum Dux generosum ipsorum ani-
 mum comprobans amplo illos solatio
 recreabat, re tamen Senatui proposita
 censebant potissimi, quod potius despe-
 rationis vehementia, quam prudentia
 intempestivo hujus populi proposito cal-
 car addiderit, incertumque oppido sit,
 num tam numerosæ gentis voluntati
 executionis constantia non sit defutura:
 aliunde vero tota belli moles Venetis
 incumberet, si forte, uti fama ferebat,
 Cæsar cum Turcis pacem iniret: hinc
 Oratoribus responsum, quod Respubli-
 ca ad ipsorum opem semper intenta
 magis opportunam occasionem præsto-
 lari cogatur; in præsentem autem tem-
 porum iniquitate, per improvidos belli
 motus adeo non ipsorum calamitas mi-
 nueretur, ut potius ab Ottomanis atro-
 cior oppressio timenda foret. Hoc re-
 sponso dimissi sexcentos aureos Natio-
 nis suæ pauperibus distribuendos rece-
 pere, Episcopo vero quadringenti, ac
 Ducagnino trecenti fuere dono dati.

Sæc. XVII.
 A. C. 601.

[Faint handwritten notes in the right margin]



Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XXI.

Classis ab Italiae Principibus & Hispaniæ Rege contra Turcas instructa.

Sagredo l. c.
Thuan. hist.
l. 126.
Daniel hist.
de Franc.
liv. 10.

Nec magis proficua Cæsari erat classis ab Hispaniæ Rege & Italiae Principibus adornata: quippe Rufus Ordinum Ductor natione Gallus Principi Aurix persuadere nitebatur, Algerianam expeditionem oppido facilem fore, eoquod urbs excubiis minus caute custodiretur, atque ineunte Mense Junio relictis duntaxat duobus millibus ceteri Prætoriani ad vectigal exigendum per integrum bimestre excurrerent, oppidanis quoque ad messem colligendam huc illucque dilabentibus: proin urbs omni fere præsidio nudata admotis quatuor onerariis navibus facile occupari posset, captivis Christianis ardentem in opem volantibus. Placuit Aurix hoc consilium, moxque Rufum ad Philippum Hispaniæ Regem ablegat, qui missis in Africam Viris, cum consentanea Rufo referrent, milites a Fontano conscriptos triremibus navibusque ex Neapolitano regno & Sicilia advectis unacum reliquo apparatu imponi iussit, totius classis imperio Aurix Principi demandato. Attamen fors ex invidia Sici-

Siciliæ Proregum, quibus Rex arca-
 num hoc consilium, ut res silentio ma-
 gis religioso tegeretur, nequidem com-
 municabat, triremes tarde admodum
 & nonnisi die prima Junii Messanam
 convenerant. Postea Princeps Auria
 triremibus, quas Carolus ejus Filius
 ducebat, præmissis cum Prætoria, sex
 Reipublicæ Genuensis, & quatuor Ma-
 gni Etruriæ Ducis navibus die decima
 octava Julii Messanam appulit. Neapolita-
 næ autem triremes, quibus Petrus Toleta-
 nus præerat, necnon Hispanæ sub Buen-
 diæ Comite nonnisi die quarta Julii
 Drepanum advenerant, quo etiam E-
 truscæ & Siculæ ductore Petro de Leva
 adjungebantur, præter Melitensium &
 Genuensis Reipublicæ navigia. Hæc
 classis instructa dicebatur, eo quod Chri-
 stiani ibidem capti, ac liberatis cupidi
 prius clandestina cum Genuensibus con-
 silia fovissent, & Nicolaus Stampa Son-
 cinensis Marchio, qui ipse locum
 lustraverat, rei feliciter gerendæ occa-
 sionem haud longe positam esse nun-
 tiasset. Ergo singulari mentium ac
 manuum contentione, præparatis &
 expeditis, quæcunque exscensionis ac
 certanimi necessaria visa forent, die
 prima Septembris Dux in conspectum
 urbis faventibus ventis decurrit, atque
 in loco exscensionis percommodo subsi-
 stens

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

Sæc. XVII. A. C. 1601. ftens ex condicōto adventus sui signa edit; cum vero Chriftiani incolæ vicifim respondere negligenter, ac nocte insequente mare tantopere intumefceret, ut citra certum exitii periculum nullo in loco exscensio fieri posset, hinc confestim omnis prosperi successus spes evanuit, totaque classis die quarta Septembris revulsis anchoris, expansisque pleno sinu velis sese ab urbe longius in altum abstulit, Gymnasiaque repetiit, ubi Navarrhis in consilium vocatis decretum, frustrata temporis opportunitate expeditionem in tempus commodius differendam esse. Tam dispensioso igitur apparatu nihil aliud effectum, nisi ut inde Albanix, Bosniæ & Africæ Præfecti eluctato periculo cautiores redderentur, quin propterea ullum Cæsari vel Hungaris emolumentum ex imminuenda belli mole accederet.

§. XXII.

Aquensis Senatus decretum contra loci Archiepiscopum.

Haud minus hoc anno in Galliis tota Provincia turbabatur ob grave diffiduum, quod inter Paulum Huraltium Aquensis Urbis Archiepiscopum, & Senatum ortum est; cum enim Joannes Imbertus Arelatensis Sacerdos puerum sexennem ad nefandam libidinem persuasum raptu

Thuan.
lib. 126.
Abrege
Chronol.
Siecl. XVII.

raptu ac stupro violasset, Archiepiscopus Sæc. XVII.
 palis fori Judex, ut partes coram se A. C. 1601.
 sifterentur, lata sententia decerne-
 bat, a qua tamen pueri Parens cum
 appellasset, Senatus Aquensis die vi-
 gesima secunda Martii hujus criminis
 cognitionem ad forum suum pertinere
 declarabat, a quo Sacerdos criminis
 convictus capite damnatus est: ante-
 quam vero ad supplicium deduceretur,
 rogatur Archiepiscopus, ut hunc reum
 de Sacerdotalis dignitatis gradu de-
 jiceret: cum autem Præsul id facere re-
 nueret, & sæpius interpellatus venire
 recusaret, Sacerdos Senatus jussu die
 nona Aprilis ad supplicium ducitur.
 Quarto post die Archiepiscopus convo-
 cato Cleri sui Senatu regionum judi-
 cum, quos violatæ immunitatis Ec-
 clesiasticæ reos arguebat, nomina cun-
 ctis designat, eosque Ecclesiasticæ cen-
 suræ pœnas incurrisse pronuntiat, at-
 que a Sacramentorum usu arceri præ-
 cipit. Re cognita iterato dies Archi-
 episcopo dicitur, quo tamen non com-
 parente litem deseruisse declaratum, si-
 mulque injunctum, ut præsentibus illis
 Clericis, coram quibus censuram pro-
 mulgabat, eandem revocaret, ac de-
 super testimonium ad acta referendum
 intra tridui spatium traderet, indicta
 trium aureorum millium mulcta, si
 parere

*Binner ap-
 parat.
 Sæc. XVII.
 Art. III.*

Sæc. XVII. parere recusaret, deinceps vero ejus-
 A. C. 1601. modi ausu Regiam auctoritatem labe-
 factare non præsumeret, alioquin Re-
 giæ manus injectione in bona ejus Ec-
 clesiastica plectendus foret. Hanc in-
 rem ex Senatus decreto Guilielmus
 Æmarus & Claudius Arnoldus Sena-
 tores ad Archipræsulem deputati pe-
 tierunt, ut facti pœnitens censuram
 revocaret: Renuit autem ipse, illam-
 que Avenione, ubi Papæ Legatus es-
 set, revocandam asseruit: quoniam ve-
 ro hac tergiversatione nihil proficeret,
 eandem revocabat, interposita tamen
 declaratione, quod hoc Senatus con-
 sultum non minus nullum, quam inju-
 riosum esset: ipso autem Cognitore Re-
 gio decreti executionem urgente Ar-
 chiepiscopus necessitati cedendum ra-
 tus die octava Maji apud Curiaë acta
 chirographum sua manu signatum de-
 posuit, vi cujus censuram absque con-
 ditione abrogabat, facta Sacerdotibus
 copia, ut Senatores antea Ecclesiasti-
 cis pœnis irretitos rursus ad Ecclesiæ
 Sacramenta admitterent. Hoc pacto
 fervens resedit studium eorum, qui pro
 affectus diversitate hinc Regis auctori-
 tatem, tranquillitatemque publicam
 haud parum labefactatam, illinc Eccle-
 siæ libertatem violenter fuisse læsam
 vociferabantur.

§. XXIII.

§. XXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

*Franciscanorum caussa contra Re-
collectos in Andegavensi Senatu
agitata.*

Eodem tempore haud remissius con-
troverſia Franciscanos inter & Re-
collectos in Andegavensi Senatu agita-
batur. Hujus caussæ seriem ab alto
repetere necesse est. Exurgit in Andi-
bus Balmetæ ad Maduanam altero ab
urbe lapide præclarum Monasterium in
ipſo saxo excisum, quod Renatus co-
gnomento *Pius* Siciliæ Rex, ac Andega-
vensis Dux anno Christi millesimo
quadringentesimo quinquagesimo sexto
Franciscanis dicaverat: cum autem
anno Domini millesimo quingentesimo
nonagesimo sexto F. Ludovicus Bene-
dictus Turonensis ac Pictaviensis Pro-
vinciæ Superior comitiis Ancenisii in
Armorica celebratis statuisset, ut stri-
ctioris observantiæ Fratres, quos *Re-
collectos* vocant, pro restauranda pri-
mæva disciplina præfatum Monasterium
sibi vendicarent, hi supellectili vili pre-
tio divendita Franciscanos durius ha-
bere cæperant, quocirca Frater Ludo-
vicus pro muneris sui ratione locum in-
visere statuit: ast ingressu injuriose ex-
clusus est, cumque vis utrinque illata
Hist. Eccles. Tom. LIII. E esset,

*Thuanus l. c.
mihi fol. 943.*

Sæc. XVII. esset, Carolus Miro Andegavensis Epi-
A. C. 1601. scopus urbis Prætorem aliosque, qui
 Recollectis favebant, in consilium vo-
 cat, reque cum illis collata decretum
 edit, quo Ludovicus Recollectos Bal-
 meta transferre jubebatur, controver-
 sia, quæ disciplinam spectat, ad Muti-
 nensem Episcopum Papæ Nuntium re-
 missa. Attamen Ludovicus ab hoc de-
 creto ad Senatum provocat, constitu-
 to Jacobo Augusto Thuano, qui eorum
 nomine, tanquam designatus totius Or-
 dinis in Francia defensor & Conserva-
 tor, causam ageret. Magna ergo utrin-
 que animorum contentione disceptatur,
 cum Pontificia auctoritas hac in causa
 verti putaretur, ac utraque pars po-
 tentes in aula Patronos numeraret. Ad-
 versus Recollectos perorabat Ludovi-
 cus Servinus, qui liberius, quam tem-
 porum ratio tulisset, Recollectos argue-
 bat, quod S. Francisci Regulam trans-
 grederentur, per quam ipsi pro alicujus
 loci possessione literas a Curia Ro-
 mana petere usque adeo prohiberentur,
 ut ubicunque recepti non fuerint,
 in aliam Regionem fugere deberent.
 Denique contra Episcopum & Jacobum
 Garnerium Recollectorum Balmetæ
 Congregatorum Guardianum, qui An-
 degavensis Præsulis partes sustinebat,
 conclusit, quod rite ab Episcopi decreto
 appel-

appellatum fuisset, proin inter D. Francisci Fratres servato æquali jure, Re- collecti sese Ludovici Provincialis auctoritati ac censuræ subicere, & divendita bona repetere tenerentur, salva tamen arctiore disciplina, quam iisdem, si velint, observare integrum foret, dummodo sese diverso ab aliis habitu non distinguerent: His quoque additum, quod omnes Fratres juxta testamentum sui Sancti Patris sine Regis venia & Superiorum licentia regno exire non præsumant. Igitur irritato Episcopi decreto Franciscani in pristinam Balmetæ possessionem restitui, a Senatu jubentur. Attamen Andegavensis Episcopus huic sententiæ minime acquiescendum ratus implorato Pontificii Nuntii patrocinio a Rege diploma impetrabat, quo hujus rei cognitio Curiæ interdiceretur, ad Ecclesiasticum forum translata.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XXIV.

Dissidia inter Jesuitas & Sacerdotes Anglos.

Non modo profana Majestas cum potestate Sacra hoc anno collidebatur, sed inter ipsos etiam Sacerdotes jurgia præcipue in Angliæ Regno exurgebant, occasione inde orta, quod regnante

*Rapin de
Toyras hist.
d' Angl.
tom 7. p. 522.
Thuan.
l. 126.*

Sæc. XVII. nante Elifabetha Regina Catholici, qui
 A. C. 1601. adhuc magno in numero ibidem dege-

*Ciaconius in
 vita Alani
 tom. 4.*

bant, dire vexarentur; tum enim Gui-
 lielmus Alanus natione Anglus una-
 cum Gabriele fratre ejusque Filio Tho-
 ma ob Religionem spontaneum exilium
 subiit, postea in Duacensi Academia
 non ita pridem a Philippo II. fundata
 Doctoris honore decoratus, ibidemque
 pia Benefactorum liberalitate adjunctus Se-
 minarium, in quo juvenes Angli lite-
 ris pietate ac doctrina Orthodoxa im-
 buerentur, erexit, quod postmodum
 Geusiis in Belgio tumultuantibus a Ca-
 rolo Cardinali Lotharingio Rhemos
 translatum est, ex quo non pauci in
 Angliam reversi multos ab schismate
 ad unionem Ecclesiæ reduxerunt, alios-
 que in fide nutantes confirmarunt. Ea
 res haud diu latere potuit illius Regni
 Pseudo-Pastores, qui Elifabetham Re-
 ginam eo induxere. ut quosvis Semi-
 nariorum convictores velut perduelles
 regno excedere juberet. Alano igitur
 cum suis Romam profecto Gregorius
 XIII. ibi novum Nationis Angliæ semina-
 rium sub invocatione S. Thomæ erexit,
 ejusdem cura Jesuitis demandata, qui
 hac occasione freti sensim in Angliam
 prorepserunt, ubi non modo Catholicos
 in fide roborarunt, sed in ceteros quo-
 que Sacerdotes, qui olim præfati Se-
 minarii

minarii Alumni erant, tanquam summi Pontificis Delegati Principatum obtinuerunt; exinde autem prima dissidorum semina pullulabant, quæ tamen a Francisco Toletò, qui ante Cardinalem Cajetanum, Alano fatis functo successerat, feliciter suppressa fuere, quin in aperta prorumperent jurgia. Eo autem vivis erepto bellum adversus seminarii Alumnos redintegratum; cum enim hi viderent Societatis homines aliqua florere apud populares suos gratia, seque negligi arbitrarentur, decreverunt se ab illis segregare, ac sodalitatem moliri, quæ ex solis secularibus Presbyteris constaret: Hujus sodalitiæ Præfectum creavere, qui Sacerdotibus omnibus, etiam Religiosis, imperitaret, & Confessiones excipiendi, aliisque ministeriis defungendi facultatem concederet. Cavebant tamen sedulo, ne hujus consilii notitia ad Pontificem perveniret, cui duntaxat leges a se huic Sodalitio præstitutas eximiamque spirantes pietatem obtulere, ab eodem confirmandas: postquam vero hi Sacerdotes jam Patri Vestono ultra parere recusarent, hic eos apud summum Pontificem tanquam schismaticos accusabat, referens, quod per hos Sacerdotes Angliæ Catholicis paulatim facultas, quibus vellent, peccata confitendi

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

P. Juven.
S. J. l. c.
§. 2.

E 3

adime-

Sæc. XVII. adimeretur. Huic quoque suffragaba-
 A. C. 1601. tur Pater Personius itidem Jesuita, qui
 anno Domini millesimo quingentesimo
 octogesimo ex Anglia Romam profu-
 gerat.

§. XXV.

*Mutue criminationes Jesuitas inter
 & Clericos Anglicanos.*

*Thuan. &
 Rapin. l. c.
 P. Juven.
 Hist. Soc.
 l. 13. p. 5.
 pag. 149.*

Interciso necessariæ charitatis nexu
 pro mutuis inter se solatiis animo-
 rum exacerbatio, pro pace discordia,
 & pro adhortationum frequentia non-
 nisi mordacia jurgia cum rixis & alter-
 cationibus succedere, ubi certatim a-
 lius alium velut truculentorum in Catho-
 licos edictorum causam, inhibitiveque
 ministerii auctorem criminabatur. Re-
 bus ita turbatis Pater Vestonius, quem
 Pater Garnetus Angliæ Provincialis
 supremum Seminarii Præfectum renun-
 tiabat, totus in eo erat, ut quidam ex
 ipsa gente Anglica Sacerdos non Reli-
 giosus ceteris præficeretur; hac enim
 via Societatis Patres ea levare sperabat
 invidia, qua reliquis dominari & prin-
 cipatum quemdam ambire jactabantur.
 Renuntiabatur itaque Archipresbyter
 Georgius Blakvellus, missis ad Anglos
 hanc in rem Cardinalis Cajetani lite-
 ris. Verum hujus Viri electio displi-
 cuit

cuit ceteris Sacerdotibus, qui eum, se ^{Sæc. XVII.}
 inconsultis, nonnisi malis artibus & ^{A. C. 1601.}
 falsa rerum narratione a Pontifice im-
 petratum, nec rite denuntiatum, sed
 duntaxat per Cardinalis literas indica-
 tum jactabant: atgebatur eorum invidia,
 eo quod Blakvellum Jesuitis addictum
 scirent, notumque haberent, quod ipse
 datis Romam literis Patres Societatis
 apud summum Pontificem & Cardina-
 les immodicis laudibus decorasset, as-
 serens, eos solos in Anglia esse, qui
 ex propriis patrimoniis summa libera-
 litate egentibus subvenirent, & sibi-
 metipsis vix non necessaria subtrahen-
 tes profuse cuncta in carcere detentos
 effunderent. Accidit iniquo prorsus
 fato, ut hæ Blakvelli literæ fuissent in-
 terceptæ, Anglisque Sacerdotibus ex-
 hibitæ. Hi ergo sua consilia inverti
 pertimescentes, confestim congregatis
 triginta Sacerdotum suffragiis adversus
 Blakvelli electionem ac potestatem pro-
 vocare decernunt, hancque in rem clam
 Jacobum Slandisium Seminarii Sacer-
 dotem cum aliis tribus Romam able-
 gant, dato negotio, ut Pontifici expo-
 nerent, quod omnes ferme Jesuitæ in
 Anglia nonnisi pauperum Parentum fi-
 lii essent, nullusque eorum patrimonii
 sui facultatibus se sustentare posset, sed
 aliunde ex Catholicorum elemosynis

Sæc. XVII. A. C. 1601. cuncta eisdem abunde ad luxum
 usque subministrarentur de cetero
 tero ipsi ferme nunquam ad captivos
 rīpe, vel alloquio iuvandos accederent,
 sterili hac cura aliis Sacerdotibus re-
 licta: ex adverso autem nobilium & di-
 vitum ædes, unde pinquior laboris spes
 esset, frequentes circumirent. Stan-
 disio Romam delato, compertoque Le-
 gationis suæ negotio mox Personius ei-
 dum Richardum Haddocum & Marti-
 num Strajum variis de causis Anglia
 profugos adjungi curabat, qui Sacer-
 dotes Anglos audiri præpedirent. Ni-
 hilominus Henrici Cardinalis, qui An-
 glicanæ Ecclesiæ Protector erat, au-
 ctoritate die septima Martii anno Sa-
 luti nostræ millesimo quingentesimo
 nonagesimo octavo novum Sacerdotum
 instituit Collegium, duodecim ad-
 junctis Assessoribus, quorum sex Ro-
 mæ, ceteri in Anglia eligerentur, ne-
 quaquam tamen ex Visbicensium Sa-
 cerdotum, sed Archipresbyteri arbitrio.
 Hac novitate Angli Sacerdotes magis
 adhuc exacerbati ex Seminarii sui Col-
 legio rursus duos Romam ablegant, me-
 lius summum Pontificem de tota rei se-
 rie edocturos. Hi autem, cum a Per-
 sonio Jesuita Romæ invitati ad Colle-
 gium Anglorum venire nollent, in pub-
 lico diversorio pernoctabant, attamen
 ab

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

ab Acrifio fisci Prætoꝛe, fatellitibusque comprehenſi die vigefima nona Decembris tanquam Anglicæ diſſenſionis Autores præeunte ipſo P. Perſonio capti abſtrahuntur. Poſtea eos Perſonius ad Collegium, ubi ipſe morabatur, abductos Sacris interdixit, cunctaque eorum Scripta intentatis etiam cenſuris ſibi tradi petiit. Interea Jeſuitæ in Anglia haud otioſi ſuſſiſtebant, qui minis & precibus ex Sacerdotibus Anglis aliquos ſollicitabant, ut novæ diſpoſitioni ſubſcriberent, quod & a nonnullis duriora pertimeſcentibus factum. Eodem quoque tempore libellus a Thoma Liſſerio Jeſuita elucubratus, quo Sacerdotes diſſenſionis rei arguuntur, in vulgus ſpargitur, ſimulque Blakwelli auctoritate factum, ut a Catholicorum conſortio Sacerdotes excluderentur. Has in anguſtias conjeſti ab Archiprebytero petunt, ut colloquio inter partes conſtituto diſſidium dirimeret: cum vero ne id quidem eis concederetur, tandem novæ diſpoſitioni ſeſe ſubjecturos pollicebantur, dummodo duo vel tres ex Jeſuitis eam unice juffu ſummi Pontificis ac habita plena rei cognitione fuiſſe inſtitutam affirmare auderent. Rejeſta autem hac ipſa conditione ad Sedem Apoſtolicam provocare conſtituunt, & appellationis ta-

Sæc. XVII. bulas Archipresbytero committunt, sed
 A C 1601. responfiloco suspensionis pœna mulctati,
 cum sibi ad Papam aditum intercludi
 suspicarentur, clam consilio Londini
 habito decernunt, ut rursus duo Romam
 ablegarentur, qui appellationis causas
 coram Pontifice disertius exponerent.
 Paulo post die sexta Aprilis sollicitante
 Patre Personio Clementis VIII. literæ
 afferuntur, quibus dispositio nuper facta
 omnino rata habebatur. Comperta Pon-
 tificis voluntate Sacerdotes sine omni
 repugnantia sese Archipresbytero sub-
 jiciunt. Hic vero, cum nondum hæc
 submissione contentus, illos a censuris
 solvere negaret, animi exacerbati ulcus
 refricabat; eapropter Sacerdotes ad
 Parisiensis Academiæ Doctores recur-
 runt, supplices, ut hi suum de hac con-
 troversia iudicium proferre non detre-
 ctarent. Igitur die trigesima Maij
 hi Theologi Lutetiæ Parisiorum congregati
 re mature pensata hos Sacerdotes
 nullatenus schismatis reos pronuntiant.
 Acceptam hanc sententiam Sacerdotes
 ad Archipresbyterum & Jesuitas dese-
 runt, infausto tamen successu; hi enim
 edito decreto illam convellunt, indicta-
 que suspensionis, & privationis bono-
 rum pœna inibent, ne quis eam pro-
 pugnare audeat. Hac severitate non-
 dum territi Sacerdotes e gremio suo
 Orato-

Oratores Romam ablegant, qui summo Pontifici exponerent, quod totius diffidii culpa in Jesuitas rejicienda foret, ante quorum adventum in cunctis Seminariis concordia, pietas, & scientia summopere viguisset, nec unquam ulli Sacerdoti aut Alumno læsæ Majestatis crimen fuisset impactum: ubi vero Jesuitæ collecta jam uberrima messe in laboris societatem missi fuissent, tunc primum pax perturbari, & Religio Catholica opprimi cæpisset, ipsis ansam præbentibus, eoquod eorum nonnulli præcipuos Magistratus acerbissimis verbis adorti de regno per exteros hostes invadendo, necnon de controversa successione, literas sparsissent, atque inter eos præcipue Personius libellum *de persecutione Anglicana*, aliumque *de Elizabethæ Reginae edicto contra Catholicos de Sacris alienis non adeundis* non alio laboris sui fructu vulgasset, nisi quod severissimæ leges in Catholicos tanquam perduelles latæ fuerint. His addere jubebantur, quod ex Seminariis eorum curæ commissis longe pauciores, quam antea Operarii in messem Anglicanam decernerentur, non alia ex causa, nisi quod juvenes, quos ingenio ac indole præcellere conspiciunt, relicto Missionis Anglicæ proposito ad suam Societatem pelliceant, quamobrem jam olim Carolus

Sæc. XVII.
A.C. 1601.

Sæc. XVII. rolus Borromæus seminariorum curam
 A. C. 1601. Jesuitis ademisset, subrogatis Presby-
 teris sæcularibus: præterea stipe in e-
 genos & captivos parce admodum di-
 stributa ipsi omni abundantia diffloe-
 rent, proin ipsi quidem paupertatis
 voto, alii vero Sacerdotes Catholici
 ipsa paupertate distinguerentur, eos-
 que, qui erga Presbyteros sese libera-
 les exhiberent, verbo scriptoque lace-
 ferent. Hæc & alia, quæ impotentior
 exacerbati animi vehementia extorse-
 rat, hisce Sacerdotibus Romam decre-
 tis scripto tradebant, a summo Pon-
 tifice postulantes, ut re mature discul-
 sa in quodam loco Britannicæ vicino,
 non autem in Belgio, ubi Jesuitæ hosce
 Sacerdotes tanquam Isabellæ Infantis
 juri successione in Angliam adversos
 traduxissent, Judices a partium studio
 alienos constitueret, coram quibus caus-
 sam suam dicturi essent.

§. XXVI.

*Horum Sacerdotum postulata apud
 summum Pontificem.*

Harum petitionum seriem jam antea
 Joannes Musheus Presbyter Roma-
 nus datis ad Morrum literis recensibat,
 eas ad quatuor capita referens. Pete-
 bant igitur I. ut Episcopus unacum Suf-
 fraganeis

fraganeis aliquot in Anglia ex communi Sæc. XVII.
 ni Sacerdotum suffragio, seclusis Jesuitis, eligeretur. A. C. 1601.
 II. Seminarii Romani cura Patribus Societatis adimeretur.
 III. Prohiberet sua Sanctitas, ne libri de rebus, quæ ad Regni Statum, ac Reginæ & Magistratus offensionem spectant, editi in Angliam transmitterentur.
 IV. Sacerdotibus in Anglia potestatem faceret, leges & statuta condendi, juxta quæ Catholici libere conversari possent, ipsique populum in obsequio fidei, ac debita Principis submissione, sancita demum concordia continere valerent. Sub idem tempus Robertus Cliarnocus Cleri Anglicani defensionem in se susceperat, edito libello, in quo tamen vehementius, quam par erat, in Archipresbyterum & Jesuitas debacchabatur: quocirca, aliasque ob causas ipsius Borghesii, cui scriptum hoc nuncupaverat, & Henrici Cajetani Cardinalis mandato ex Anglia faceffere jussus est.

§. XXVII.

*Hæc dissensio a Clemente VIII.
 sedata.*

Hæc dissensio integrum quadriennium tenuit, quo tandem evoluto Clemens VIII. Pontifex Maximus veritatem exacte edoctus hoc anno mutuis crimini-

Sæc. XVII. criminationibus obicem opposuit, dato
A. C. 1601. ad Georgium Blakwellum diplomate
 quo eum serio monuit, ut mandati li-
 mites haud egressus, potestate sibi con-
 cessa caute ac prudenter uteretur, nec
 in Presbyteros, qui extra Seminaria
 degunt, jurisdictionem suam extende-
 ret, facultate adempta infligendi cen-
 suras, & statuta condendi, aut contra
 Sacerdotes ad Sacram Sedem appellan-
 tes procedendi, nisi prius consulto Re-
 gni Anglicani Protectore, & sententia
 ejus expectata. Insuper prohibuit, ne
 ulla negotia ad officii sui administratio-
 nem spectantia cum Patribus Societa-
 tis communicet, revocatis ea de re se-
 cretis Cajetani mandatis. Imposterum
 autem de iis omnibus ad Sedem Apo-
 stolicam, & Regni Protectorem referat,
 nec sinistri aliquid de Viris Religiosis
 suspicetur. Insuper monetur, ut ele-
 mosynas ex pia fidelium liberalitate col-
 lectas egenis & præcipue pro fide Ca-
 tholica incarceratis integra fide erogat,
 nec legitimis ad Sacram Sedem appella-
 tionibus obsistat. Postremo, ut omnis
 diffidii radix evelleretur, præcepit
 Pontifex, ut omnes libri contra Jesui-
 tas æque ac Sacerdotes editi damnen-
 tur, nec imposterum ullus vel calamo
 vel lingua alium infectetur, indicta
 anathematis poena. Denique ad An-
 glica-

glicanos Sacerdotes converso sermone Sæc. XVII.
 eos hortatur, ut pacis studiosi vineam A. C. 1601.
 Domini communi labore excolere stu-
 deant, non alta sapientes, sed humi-
 libus consentientes; se etiam invicem
 diligant, nemini dantes offensionem,
 aut malum pro malo reddentes: proin-
 attenderent, ne ministerium, quod tot
 laboribus exantlatis ad Dei gloriam,
 fideique incrementum exercuerunt, in
 ipsis vituperetur. Datum est hoc di-
 ploma die quinta Octobris, a quo tem-
 pore inter Catholicos aliquamdiu ex-
 optata pax in Anglia floruit, quin pro-
 pterea diræ in eos vexationes cessaf-
 sent; cum enim Jesuitæ Sacerdotes
 Anglos de variis criminibus postularent,
 & vicissim hi palam edicerent, quod
 ex Jesuitarum culpa tanquam unica
 radice tot severæ leges adversus Ca-
 tholicos sancitæ pullularint, eoquod hi
 in cunctis conjurationibus partem ha-
 buissent, quinimo assassinos in Reginæ
 vitam subornassent, aulæ Ministri Ca-
 tholicis alias infensissimi, cum ejusmo-
 di criminationes quantumvis falsæ eis
 innotuissent, Elisabethæ Reginæ Ora-
 tori infusurrabant, quod Jesuitæ aliique
 Sacerdotes eisdem adhærentes perni-
 ciosa adversus Reginam consilia machi-
 narentur: hoc autem falso obtentu freta
 Regina edito diplomate, hos Regno exu-
 lare

Sæc. XVII. lare jussit, non modo intercisa omni
 A. C. 1601. redeundi spe, sed indicta etiam capitæ
 pœna, cui pariter subiciebantur ceteri
 Sacerdotes Jesuitis adversi, nisi inter-
 posita Sacramenti Religione Reginam
 velut supremum Ecclesiæ Caput agno-
 scere vellent.

§. XXVIII.

Bellum in Belgio continuatum.

Gallut. de bello Belgico l. 13.
Thuan. hist. l. 126.
Grotius l. 10. Quantumvis fœderati Protestantes primis hujus anni Mensibus ab armis cessassent, Mauritius tamen eorum Bellidux tempestate ad bellandum opportunam usum ad fallendum hostem Sylvam Ducis invadere simulabat, mox vero summa, qua potuit celeritate cum viginti suorum millibus Rhenobergam contendit, hancque urbem, cujus jacturam Fœderati Ordines ob interceptam navigationem ægerrime ferebant, die secunda Julii obsidione cingit, ac nullo ferme negotio munimentum ex adversa fluminis ripa positum occupat. Dein castris adversus eruptiones valide munitis, excitatisque aggeribus & tormentorum suggestibus ipsam urbem quatere incipit, præfidiariis non minus strenue ac frequenter erumpentibus. Præerat enim urbi Ludovicus Bernardus Avila bellicæ artis peritissimus: aderant

aderant quoque præter sex & triginta Sæc. XVII.
belli tormenta milites Hispani, Itali, A. C. 1601.
Germani & nautici ad tria ferme mil-
lia, non computatis quinquaginta
Equitibus, quos Botbergius ducebat.
Cum autem obsessi non sine clade, ut
improvise eruperant, sæpius repressi re-
trocedere cogentur, eodemque tem-
pore munimentum, quod urbis mœ-
nia tegebat, vi pulveris igne admoto
everteretur, hinc Avila de imminente
periculo Albertum Archiducem certio-
rem reddere statuit, eamque ob causam
viis omnibus arctissime occlusis duos
natandi peritissimos transmissis Rheno
Geldriam versus cum literis ablegat,
qui tamen a quatuor hostium Equiti-
bus intercepti tanquam exploratores
ante obsessæ urbis mœnia suspensio
puniti sunt. Nihilominus ipse Alber-
tus audita obsidionis fama, mox ha-
bito belli Senatu decernit, ut Herma-
nus Thserenbergius Comes ac Geldriæ
Præfectus laboranti urbi suppetias fer-
ret, alii vero Belliduces ad distra-
hendas hostium vires Ostendæ obsidio-
nem pararent. Perlato hujus propositi
nuntio Mauritius dubiis curis fluctua-
bat, cæpto operi cedere indecorum,
prosequi autem sat periculosum ratus,
propere tamen, ut in rebus arduis
hieri amat, consilium capit, atque ad

Hist. Eccles. Tom. LIII. F finem

Sæc. XVII. finem obsidionis maturandum, statuit, ut
 A.C. 1601. Rhenoberga recuperata, unitis viribus

Ostenda eo validius obsidione liberari
 valeret. Igitur novo ardore obsessis
 insistit Mauritius, actisque cuniculis
 interjecta propugnacula, magnamque
 muri partem defossi pulveris violentia
 diruit, similique arte captis ceteris cir-
 cum munimentis ad ipsum urbis aggre-
 rem penetrat: eapropter, haud ignarus
 quod obsessis maximo numero vulnera-
 tis medicamenta non suppeterent, mis-
 so in urbem Tibicine deditionem postu-
 lat: Avila autem respondente, non-
 dum deditionis tempus adeste, Mauri-
 tius alias viæ testæ partes cuniculis
 suffodere aggreditur, ac rursus quinta
 post die Præfectum, ut Rhenobergam
 dedat, hortatur: ille autem a Mauri-
 tio petiit, ut concessis induciis duos
 milites ad Hermanum Comitem, an non
 suppetiæ præsto essent, sciscitatum mit-
 tere posset: id vero denegante Mauri-
 tio, Avila inter arcta prehensus postero
 die se de conditionibus acturum respon-
 dit: interjecta nocte ex Geldriæ oppido
 significatione ignium spes proximi auxilii
 monstrabatur; jam enim octo peditum
 millia & Equites bis mille quingenti
 Mosam trajiciebant; minus tamen tem-
 pestiva erant hæc auxilia; cum Avila,
 prout sponderat, altera die acceptis
 obsidi-

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

obsidibus deditiois pacta jamjam per-
scripisset, vi quorum utrinque conven-
tum, ut liberum esset Militibus, Nau-
tis, ceterisque ex oppido migrare cum
armis, omnibusque impedimentis, trans-
fugis vero, quorum non pauci in urbe
erant, salus & venia daretur, & Avila
duo belli tormenta, totidemque pulve-
ris pyrii dolia cum quinquaginta globis
ferreis secum avehere posset; ad ægros
vero, fauciosque transportandos Fœde-
rati ducenta commodarent vehicula;
denique captivi utrinque liberi dimitte-
rentur. His transactis die trigesima
prima Julii Avila cum mille trecentis
præfidiariis Rhenoberga discessit, Tra-
jectum ad Mosam profectus. In hac
obsidione desiderati sunt ex obsellis su-
pra mille, totidemque ferme ex obses-
soribus. Postea Mauritius, instauratis
ruinis, operibusque complanatis urbem
præsidio firmat, ac cum reliquo exer-
citu ad Meursam contendit, hocque
oppidum, dejecto milite, quem Cliviæ
Dux imposuerat, intra bidui spatium
occupat, inde Hagam Comitum ad Fœ-
deratorum Ordinum comitia reversus.

§. XXIX.

Inchoata Ostendæ obsidio.

Hoc item anno Ostendana incæpit
oppugnatio, quam Albertus Archi-
dux

*Gallut. l. 14.
de Bell. Belg.
Mercur.
Gallobel. l. 6.*

F 2

Sæc. XVII. dux crebris Catholicorum Belgarum
A. C. 1601. votis devictus, eo lubentius susceptis,

*Hugo Gro-
tius Hist.*

l. 10.

Thuan. l. 10.

quo atrocius Fœderati Ordines inde totam Flandriam longe lateque infestis excursionibus, immodicisque tributis quotidie vexabant. Primo igitur Archidux die quinta Julii circum Ostendam castra ponit, collocata statione in Albertina arce, quam Hispani, Itali & Wallones infederant, quibus Augustinum Meniam Antverpiensis arcis Præfectum præfecerat: Hispanicis vero castris præerat Hieronymus Montiregius, & Wallonicis Catricius, qui erecto agere jamjam impositis aliquot tormentis multum damni obsessis inferre cœperat, parique æmulationis studio Fredericus Herenbergius dexteram oppidi partem bombardarum ictibus assidue infestabat. Erat tum Ostendæ Præfectus Carolus Notius, qui Gubernatoris ad omnia intenti partes explens præprimis Divæ Claræ oppidum novis operibus firmari, aliasque munitiones longius proferri jussit, simulque omne vulgus imbelle in proximas Zelandiæ Insulas amandavit: rebus ita dispositis die decima Julii cum mille quingentis erupit, quos tamen Montiregius non sine magna clade repulit, promotaque alacriter opera alterum propugnaculum erigere cœpit, sinistro tamen eventu; inopi-

inopinato enim tormenti globus eidem Sæc. XVII.
 caput abstulit, cui Albertus Simonem A. C. 1601.
 Antonium Lusitanum Ducem longe mi-
 litia efferatum suffecit. Interea Mauritius
 obsidentium molimina edoctus, auxilia-
 res copias adducere festinat, summum
 imperium Francisco Verio relinquens,
 qui cum triginta quatuor millibus par-
 tim Anglis, partim Batavis die deci-
 ma quinta ejusdem Mensis per Septen-
 trionalem portam incolumis Ostendam
 ingressus est, hisque copiis fretus mox
 cum tribus suorum millibus in Alberti-
 nam arcem irrupit, vallumque ab
 hoste captum destruere nititur, non si-
 ne tamen suorum jactura retrocedere
 coactus. Nec tamen inde territus, cum
 probe intelligeret, quod munimentis
 extra moenia constructis pertinaces e-
 tiam obsidentium labores tandem fran-
 gere posset, præter munitionem a No-
 tio cœptam etiam ternos receptus, &
 quadratam loricam erigi tormentisque
 bellicis firmari præcepit. Albertus vi-
 cissim cognito hostis consilio, ut latius
 procedere obsessos prohiberet, ex ad-
 verso duo propugnacula excitavit: ni-
 hilominus alia ex parte mox Verrius
 novum receptum struere cœpit, quod
 tamen opus tempestive adhuc die vige-
 sima sexta Julii Augustinus Menia Al-
 berti jussu disturbavit, captis quinquaginta

Sæc. XVII A. C. 1601. Præfecto: Tanta utrinque machinarum
 vi fuit certatum, ut intra viginti die-
 rum spatium quinquagies mille in ur-
 bem, vicies mille globi ex urbe in ca-
 stra contorti ferantur, simulque tot e-
 recta fuere munimenta, ut magis ca-
 stra castris opposita, quam urbs ob-
 fessa videretur.

§. XXX.

*Suppetiæ Catholicis allatæ.**Grotius l. c.*

Haud multum temporis interfluebat,
 cum Ostendani rursus eruptione
 facta Catholicos aggressi essent, itidem
 ab his repulsi. Interea vero strenue in
 bellica opera incumberebat Herenbergius
 Comes, qui, ut aditum Fœderatorum
 navigiis intercluderet, nova arte ag-
 gerem juxta mare construere aggredie-
 batur: ramalium enim fascies in pedes
 viginti longi coctis lateribus infereban-
 tur, ut suo pondere irruentibus undis
 obfisterent, sicque valide religati alius
 super alium congerebantur, ut in al-
 tum aggerem confurgerent, in quo lo-
 cata belli tormenta portus veteris usum
 Fœderatis navibus interdicebant: tum
 vero potius cum mari, quam hoste lu-
 ctandum erat; quippe maritimi æstus
 tempore fluctus tanto impetu in oppo-
 sitam

fitam molem impingebant, ut eam aut solo æquarent, aut inutilem redderent, cui ad iniquitatis cumulum accedebat obfessorum, in continuas neces intenta sollicitudo, qua denso glandium imbre in structores detonabant: nec tamen obfirmatam obsidentium pertinaciam superare poterant cuncta hæc obstacula, quo minus absoluto aggere hostifus annonam aliaque necessaria advehendi opportunitas demeretur; haud parum quoque operariorum ardor ex adventu recentis militiæ crescebat; quippe ex Italia quædam Legiones ductore Theodoro Comite Trivultio præter Hispana vexilla sub Joannis Bracamontii imperio ad obsidionem accesserant, quibus Carolus Longovallius Bucquoius Comes cum suo Vallonum Legione, necnon Barlæmontius Comes cum septem Germanorum signis adjungebantur: His suppetiis firmatus Archidux Albertinum propugnaculum aggeribus, viisque subterraneis muniri iussit, quo in opere Catholicorum plurimi periere, hoste sine intermissione eos globis ignitis infestante: promotum tamen opere mox cujusdam aggeris, quem hostes ad impetum crescentis æstus coercendum olim construxerant, beneficio usi, ad vicinum oppidi propugnaculum progrediebantur: detecto au-

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Sæc. XVII. tem obsidentium consilio Oppidani die
A. C. 1601. decima quinta Augusti nocturno tem-
 pore pluribus in locis aggerem perre-
 perunt. Altera ex parte Bucquojus
 Bredanæ munimentum adversus ho-
 stium eruptiones frequentesque navium
 appulsus firmare aggreditur: ast cum
 ingens esset loci distantia, proin lon-
 ginq̄ & incerti globorum jactus, hinc
 horis omnibus naves quamplurimæ
 prorsus innoxie appellebant, tam raro
 damni periculo, ut ingens hominum
 multitudo sola spectandi cupidine ad-
 vectaretur, ac inter exteros Principes
 præcipue Uricus Dux Holsatiæ Chris-
 tiani Daniæ Regis frater, & ex Angliâ
 Cassalius Notumbriæ Comes otiose
 munitiones omnes non sine magna mi-
 litaris ingenii admiratione Instrarent.
 Nihilominus Bucquojus errore hoc feli-
 citer emendato propugnaculum mari
 vicinius exstruxit, unde inuenta ho-
 stium navigia sine certi exitii periculo
 aditum ad urbem tentare haud pote-
 rant: prætera Archidux exstructo a Fœ-
 deratis securiori receptui confestim ea ex
 parte novum aggerem opponi curabat.

§. XXXI.

*Impressio in urbem a Catholicis in-
 cassum facta.*

Rebus

Rebus cunctis ad expugnationem dispo- Sæc. XVII.
 fitis die octava Septembris Archidux A. C. 1601.

Nicolaum Catricium, qui versus occi-
 dentem promotus vallo ad urbis fossam
 appropinquabat, in oppidum cum lecta
 militum manu irruptionem facere ius-
 sit. Mandatum exequitur Catricius
 magno animi fortitudine, sinistro tamen
 successu; quippe desideratis suorum
 quamplurimis ipse Catricius & Braca-
 montius globi ictibus percussi cecidere,
 quorum tamen cædem Catholici multo
 vulnere hostibus inflicto, ac præcipue
 Henrici Colinii Castillionæi Gallorum
 Tribuni morte vindicabant; hic enim
 juvenis Princeps ferrea pala in capite
 trajectus occubuit, Verrius quoque nec
 talium malorum immunis graviter fau-
 ciabatur, qui e castris tamen ad cur-
 randum vulnus Zelandiam delatus, inde
 paulo post Ostendam reversus est. Men-
 se Octobri ferme ad medium incli-
 nante Bucqjus noctis beneficio usus
 quoddam propugnaculum ponti immi-
 nens occupat, dum vero per quemdam
 militem ad quævis audenda proclivem
 clam ipsum pontem incendere parat,
 hostes acerbius laceffiti toto impetu ac-
 currunt, ipsumque propugnaculum re-
 cuperant. Denique Albertus Archi-
 dux, cum maris impotentius tumentis
 & reciprocantis æstu validiora etiam

*Thuan. &
 Grotius l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1601. machinamenta dejici, hiememque imminere cerneret, habito belli Senatu quid in obsidionis progressu tentandum deliberat, ubi rejectis plurium opinionibus tandem decretum, ex adverso propugnaculi, quod Oppidi Templum tuetur, validum esse construendum munimentum, ex quo adventantia hostium navigia impositis tormentis peti, demergique possent.

§. XXXII.

Sylva- Ducis a Mauritio obsessa.

Galut. l. 14.
Grotius
l. 10. **D**um hisce belli consiliis detinetur Albertus, interim Mauritius Comes Nassovius Fœderatorum Belgarum Gubernator, ut Catholicos ab obsidione Ostendana removeret, die prima Novembris Sylvam- Ducis obsidione cingere parat. Præsidarii milites, quibus Antonius Schetus imperabat, erant numero pauci, cives vero in duas peditum cohortes & unam equitum conscripti ad strenuam urbis defensionem obfirmatum præseserebant animum: nec deerant Magistratus & Sacerdotes, qui cives aliunde haud intrepidus ad fidei Catholicæ & patriæ defensionem proposito Majorum suorum exemplo certatim inflammarent: nihilominus cum tam amplæ civitati propugnans

pugnandæ numero impares essent, Gu- Sæc. XVII.
 bernator Archiducem de præsentaneo A. C. 601.
 periculo monet, prompta postulans sub-
 sidia: Albertus igitur quantocius Fri-
 dericum Herembergensem Comitem
 cum septem peditum millibus, Equiti-
 busque mille & quingentis, ut pericli-
 tanti urbi præsto essent, decernit, ex
 quibus octingenti pedites hoste nil mi-
 nus suspicante die vigesima nona De-
 cembris noctu incolumes inferebantur,
 paucis duntaxat ex postremo agmine
 captis cæsisque. His copiis aucti Syl-
 va-Ducenses ad obsidionem alacriter
 sustinendam omnem apparatus adorn-
 ant, atque adversus incendia aquam
 domibus tectisque provida sedulitate in-
 ferunt, tabulata arenæ cumulis ster-
 nunt, cunctaque restinguendis flammis
 parata habent. Accesserat insuper tem-
 pestivo admodum consilio facta Archidu-
 cis nomine pollicitatio, privata damna ex
 publico reparatum iri ærario: nec mi-
 nor erat in obsessioribus ardor ad urbem
 oppugnandam, primisque obsidionis
 diebus hostes ad Fuchtensem portam,
 quam ictu bombardæ perfregerant,
 tanto impetu irruebant, ut urbe potiti
 viderentur, nisi Gubernator quanto-
 cius emissis aliquot copiis vim repulif-
 set, pontemque portæ subjecto igne
 concremasset: Sinister hic successus,
 necnon

Sæc. XVII. necnon introducti subsidii facilitas, &
 A. C. 1601. præcipue fatalis nuntius de proximo
 validi exercitus adventu tantopere Mauri-
 ritium terruit, ut die vigesima septima
 Decembris obsidionem solveret, ac im-
 pedimentis potissimam partem incensis
 non sine magna suorum clade in Hol-
 landiam reverteretur.

§. XXXIII.

Continuata Ostendæ obsidio.

Grotius l. c.
 Thuan.
 l. 126.

Ceterum adhibita Archiducis solertia
 Ostendanis naves annona aliisque
 suppetiis onustas advehendi opportuni-
 tatem præcludere haud poterat; quip-
 pe triginta primum ac dein viginti qua-
 tuor navigia innoxio appulsu advene-
 rant, obsidentibus nequicquam Hispani-
 nis, qui, dum munitionem hostilem
 extra oppidi fossam invadunt, deside-
 ratis suorum quamplurimis repulsi sunt,
 exfœderatis tamen Uctenbroquius Con-
 sul Ultrajectinus plumbea glande tra-
 jectus occubuit. Postea exeunte Mense
 Octobri denuo quadraginta & amplius
 naves libere portum ingressæ sunt, si-
 mulque sepimentum, quod Hispani con-
 struxerant, die vigesima nona Octobris
 subita exundatione eversum est: unde
 aliud altius erigere coguntur, cum au-
 tem præsidiarii die tertia Novembris
 erunt-

erumpentes opus demoliri nituntur, Sæc. XVII.
res vix non ad prælii necessitatem de- A. C. 1601.
venit, postea tamen æquato utrinque
damno discessum est.

Frustrato hoc molimine die decima e-
jusdem Mensis quinquaginta trium na-
vium classis Ostendam incolumis per
Gulam appulit, quam opportunitatem,
cum Catholici erecta e propinquo mu-
nitione obsessis eripere tentant, hi op-
positum in oppido propugnaculum ex-
struunt, dum vero in hoc opere alacri-
ter desudant, morbo vehementer graf-
fente plurimi intra unius diei spatium
peste absumpti sunt, alii superstites assi-
duis morbis afflictati, & potissimi ad
eruptiones haud amplius idonei. Ac-
cessit insuper ad calamitatis cumulum,
ingens procella, cujus vehementia ve-
tus oppidum vix non solo æquatum est,
quo comperto Archidux ea ex parte op-
pugnationem institui præcepit, non sine
prosperi successus spe; quippe Franci-
scus Verius Zelandia redux missis ad
Archiducem Legatis die vigesima quar-
ta Decembris colloquium de deditio-
ne simulque armorum induciis poposcit,
Utrumque Albertus lubenter indul-
sit. Ast ubi quinque naves copioso milite
& com meatu instructæ a Zelandia ad
Ostendanium litus appulerant, Verius
Alberto datis literis significabat, quod
novis

Sæc. XVII. novis auctis viribus urbis defensionem
 A. C. 1601. prosequi teneretur. Ad hæc Archidux
 haud ignarus, quod ad retardandum
 validioris oppugnationis impetum Ver-
 rius deditionem duntaxat simulasset,
 inde haud parum commotus proximo
 anno bellum auctis viribus prosequi
 statuit.

XXXIV.

*Catholicus exercitus in Hibernia ab
 Anglis cæsus.*

Rapin Hist. Finitis, quas Essexius Comes anno
d'angl. l. 17. priori indulserat, induciis hoc an-
Thuan. no bellum in Hibernia majori adhuc
l. 125. ardore continuatum est, Hugone Ty-
Grotius hist. renniæ Comite in magnas spes erecto,
l. 10. postquam eidem nuntiatum erat, quod
 Hispanorum copiæ, quas Philippus III.
 Rex Catholicis in Hibernia oppressis
 in opem submiserat, jamjam in portu
 Kinsalensi exscensionem fecissent, eo-
 rumque Dux nomine Aguiliarius urbem
 facto impetu occupavit: Delibutis hisce
 victoriæ auspiciis idem Bellidux con-
 festim promulgato diplomate declara-
 bat, quod non alio ex fine exercitum
 suum admovere jussus esset, nisi ut in-
 iuriam Deo, Ecclesiæ & Incolarum
 conscientiæ illatam armis vindicaret,
 oppressosque cives, Regno a novæ hæ-
 refis

resis peste expurgato, in veræ fidei a Sæc. XVII.
 quinto Christiani Orbis sæculo felici- A. C. 1601.
 ter adoptatæ cultu ac libertate tuere-
 tur, proin cuncti incolæ se haud am-
 plius Diaboli laqueis teneri sinerent, sed
 potius excusso hoc immani jugo pro
 Dei ac patriæ suæ honore tanquam ge-
 nuini Ecclesiæ Filii decertarent. Ad
 hæc omnium quidem una vox erat,
 eos duceret, quacunque Deus, Hi-
 spaniæ Rex & fortuna fortibus animis
 viam sternerent, se nulla bonorum aut
 sanguinis parsimonia secuturos: Atta-
 men generosis hisce ausibus prosperi
 successus felicitas deerat; quippe Hi-
 berniæ Prorex accepto captæ urbis
 nuntio confestim cum delecto milite ac-
 currit, positisque castris oppidum
 arcta obsidione cinxit: haud segnior
 quidem Tyrennius Comes, summo si-
 lentio sese itineri accingit, eo consilio,
 ut Anglorum castra cum parte equita-
 tus sui inopina vi perrumperet, viam-
 que sibi per hostium gladios, & cada-
 vera in urbem aperiret, spe facta, quod
 hispanorum copiis auctus postea valido
 impetu in obseffores unacum reliquo
 agmine, quod in insidiis latere iusse-
 rat, ex oppido erumpere, illosque a
 fronte & a tergo invasos profligare pos-
 set. Verum detecto Tyrennii consilio
 Angli hostem omnino prævertendum
 rati

Sæc. XVII. rati summa celeritate Tyrennii copias
 A. C. 1601. obviam procedunt, non sine secundæ
 fortunæ auspicio; ad primum enim
 regii exercitus conspectum mox Comes
 suos trans vadum reducit, nequicquam
 reclamante Alphonso Ocampo Hispanæ
 Legionis Tribuno: insequentibus tamen
 Anglis res ad prælii necessitatem de-
 venit, unde instructa acies, ordines
 que ad pugnandum dispositi: ipse quo-
 que Tyrennius, ut impactam intem-
 pestivæ fugæ calumniam elueret, pri-
 mus peditatu in agmina distributo cum
 quadringentis Equitibus hostem adori-
 tur, pessimo tamen consilio; cum e-
 nim Equites Regionum impetum susti-
 nendo impares essent, retro in pedita-
 tum turmatim effusi, solutis ordinibus
 totum agmen secum in fugam abripue-
 runt, solis Hispanis in acie relictis, qui
 quidem diu imperterrita vincendi avi-
 ditate cum hoste dimicabant, tandem
 vero non robore sed numero victi, qua-
 quisque poterat, via incomposite fu-
 gam arripere cogebantur, desideratis
 suorum quamplurimis, aliis ab inse-
 quente Anglo aut captis aut cæsis;
 ipse quoque Ocampius vivus in Anglo-
 rum potestatem venit, Tyrennius ve-
 ro cum paucis per proximas sylvas &
 devias paludes ægre imminens vitæ
 periculum eluctatus est. Tam adverso
 fortunæ

fortunæ casu Aguillarius Gubernator Sæc. XVII.
vehementer percussus, cum prompti A. C. 1601.
auxilii spem haud reliquam haberet,
anno sequenti die secunda Januarii de-
ditionem facere compulsus est, pacta
suos in Hispaniam reducendi liberate,
redditisque, quæ antea occupaverat,
oppidis. Postea Prorex Catholicos
omni ope destitutos iterata clade ab-
sumperat, Elifabetha vero Regina, ut
Hispanis in Hiberniam denuo irrum-
pendi opportunitatem præverteret,
octo grandiorum navium classem præ-
ter minoris molis quamplurimas in re-
gni finibus tenebat. Cum autem Pro-
rex Tyrrenium Comitem sine inter-
missione lacefferet, nullumque respi-
randi spatium indulgeret, illum tan-
dem ad tam duram reduxit necessita-
tem, ut sese Elifabethæ arbitrio ac
clementiæ relicturum sponderet: id ta-
men Prorex Comitibus voto dare re-
cusabat, nisi prius obtenta Reginæ ve-
nia, qua tandem concessa Tyrennius
ad Proregem proficiscebatur, ab eo-
dem in Angliam ad Elifabetham ab-
ductus,

§. XXXV.

*Colloquium inter Catholicos & Lu-
theranos Ratisbonæ habitum.*

Hist. Eccles. Tom. LIII. G Jam

Sæc. XVII.

A. C. 1601.

*Adlzreither
Annal. Boic.
part. 2. l. 12.
relat. Tan-
neri de ortu
& progressu
colloqui.
Acta colloq.
edit. Monac.
& Lauing.
Thuan.
l. 126.*

Jam anno priori de colloquio inter Ca-
tholicos & Lutheranos Doctores Ro-
tisbonæ habendo agebatur, cujus oc-
casio hæc erat: Inviserat autumni tem-
pore Maximilianus Bavarix Dux ad
Philippum Ludovicum Neoburgicum
Ducem Cognatum suum, Lutheri sectæ
addictum: Quadam die sermone ad fi-
dei controversias converso differendi
argumentum præbebat quidam libellus,
cujus auctor Lutherum tanquam mer-
dorem, impurum & Blasphemum ex
ipsis ejusdem verbis depingebat, edi-
taque apologia adversus Philippum
Hailbrunnerum, qui auctorem sub-
lestæ fidei postulabat, dictorum veri-
tatem comprobata reddebat: cum
ergo Philippus Dux Lutheri sui infir-
miam ægre ferret, operæ pretium fore
declarabat, si inter selectos utriusque
partis Theologos de controversiis fidei
quæstionibus familiare colloquium co-
ram utroque Principe haberetur: Pla-
cuit summopere hoc consilium Maxi-
miliano, qui etiam, quamprimum Viennæ
Monachium reversus fuerat, datis
litteris Philippum ad præconceptam di-
sputationem invitabat, tempus, locum,
modumque præscribendi facultate ei-
dem relicta. Præfigitur colloquii ini-
tio dies vigesima octava Mensis Novem-
bris, atque ad Philippi Ducis votum
feli-

feligitur Curia Ratisbonensis, dein duo
 Doctores Albertus Hungerus Ingolsta-
 diensis Academiae Pro-Cancellarius &
 Jacobus Grethserus Jesuita ibidem Theo-
 logiae Professor, cui in tertia Sessione
 Adamus Tannerus successerat, a Ba-
 variae Duce designati sunt praeter Geor-
 gium Lautherium Monacensis Colle-
 giatae Praepositum, Antonium Welse-
 rum, & Wolfgangum Hanemanum
 Frisingenses Canonicos, qui Testium
 ac Consultorum partes tenere. Phi-
 lippus vero Collocutores nominabat Ja-
 cobum Hailbrunnerum & Aegidium
 Hunnium: Testes vero ac consultores
 e longinquo petebantur, & quidem e
 Saxonia David Rungius, e Vinaria Fla-
 dungus, ex Ohnsapaco Abdias Wickne-
 rus & Laurentius Laelius, a Wittem-
 bergo Andreas Osiander, & Felix Bi-
 denbachius praeter Philippum Hail-
 brunnerum, Tobiam Bruno, Christo-
 phorum Moroldum, Henricum Tettel-
 bachium, Magnum Agricolam, Abra-
 hamum Manne, & Davidem Schra-
 mum, qui omnes erant Neoburgici Pa-
 stores: hucusque omnia inter partes a-
 mice transacta fuere: acrius autem
 cum Lutheranis certamen fuit, dum
 de disputationis argumento deliberatum
 est; Protestantes enim exclusa Dia-
 lectica patrium idioma adhiberi postu-
 lant,

Sæc XVII.
 A. C. 1601.

Sæc. XVII. lant, attamen illam ad declinandam
 A. C. 1601. vagas & digressionibus obnoxias confu-
lulationes esse pernecessariam, hoc
 vero in concursu plebis ineruditæ mi-
 nus proficuum judicabatur. Præterea
 Lutherani Doctores omnino postulabant,
 ut in omnibus, quæ in medium pro-
 ferrentur, fidei controversiis non nisi
 Verbum scriptum in regulam ac Judi-
 cem adduceretur: hæc autem Prote-
 stantium conditio non minus insultu-
 quam iniqua Catholicis Doctoribus vi-
 debatur; memores enim erant, quod
 idipsum olim Ariani de S. Augustino
 petiissent, dicentes: *Si de divinis Scri-*
pturis protuleris, quod commune est cum
omnibus, audiemus: quæ vero extra Scri-
pturam proferes, a nobis non suscipiuntur,
cum dicat Dominus sine causa colunt me,
docentes mandata & præcepta hominum.
 Quinimo ipsi Maximiliano Principi,
 utpote in fidei controversiis haud pe-
 regrino compertum erat, quod nulla
 unionis spes foret, quamdiu error, ex
 quo tanquam communi radice ceteri
 ferme omnes pullulant, circa hunc ar-
 ticulum non tolleretur. Ne ergo Lu-
 therani palam facerent, quod suæ cau-
 sæ diffisi per iniquas condiciones dispu-
 tationis periculum eludere tentarint,
 annuere compulsi sunt, ut velut præ-
 cipuum disputationis argumentum se-
 quens

S. Aug. lib.
contra Ma-
ximum.

quens thesis proponeretur: *Sacra Scriptura non est Iudex omnium controversiarum fidei & Religionis Christianæ: Est quidem norma infallibilis, verum nec sola, nec unica, sed præter hanc necessario admittendæ sunt traditiones & Ecclesiæ Definitiones, Doctorumque Orthodoxorum consensus.*

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XXXVI.

Hujus colloquii initia.

Jam dudum Lutherani Doctores Ratisbonæ conveniant, qui, cum juxta regionum, unde accersiti erant, diversitatem diversas etiam inter se opiniones fore pertimescerent, privatis disputationibus, & colloquiis futuro certamini præludebant, dissonasque fides ad harmonicum sonum intendere nitentur. Demum vero die vigesima sexta Novembris adventantibus Bavaro & Palatino Ducibus præstituto die in destinata Curia Ratisbonensis Aula colloquio hora prima pomeridiana datum est initium, legesque præscriptæ, quibus observatis perspicua, modesta, ordinata, & sophismatum, clamorum convitiisque expers foret disputatio: nihilominus Augustanæ Confessionis Theologi, ut intacto principalis controversiæ scopo ad singularia quædam disputationem distrahere valerent,

Merc. Gal-
lobelg. l. 6.
Acta colloq.
Ratisb.
an. 1602.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Catholicorum thesin, quam ante conflatum ipsimet ut rite positam admittebant, nunc in prima Sessione, utpotere negativam reprobarunt, postulantes, ut qui sit controversiarum iudex, & quænam traditiones tenendæ sint, sigillatim & diserte explicaretur: ne ergo tempus inutiles hac cavillatione tereretur, ad Principum petitionem Grethserus pronuntiabat, quod Iudex generalis & legitimus sit Romanus Pontifex, qui semper, dum ut Pontifex loquitur, infallibilis est sive extra sive cum Concilio definiat: cum autem Hailbrunnerus insuper singulas traditiones speciatim proferri, petulantius peteret, a Maximiliano Duce silere iussus est. Perlecta prius unica Catholicorum thesi, quæ omnibus duodecim Lutheranorum thesibus repugnabat, hæc quoque recitabantur, quarum summa hæc est I. Verbum Dei scriptum infallibilis & unica regula est. II. Idipsam omnium Religionis controversiarum supremus est Iudex III. quod cum verbo Dei concordat, est recipiendum: atamen hæc thesis repugnare videtur primæ: id enim, quod cum verbo Dei concordat, non est ipsa Scriptura, si igitur nihilominus est recipiendum, etiam ipsi Lutherani aliquid præter Scripturam, & extra Scripturam recipiunt, proin

proin verbum Dei scriptam non est unica Sæc. XVII.
 regula &c. Dein quarta Thesis ita ex- A. C. 1601.
 ponebatur: In hoc Verbo omnia ad Dei
 cultum & salutem nostram necessaria
 continentur. V. Eaque sunt nobis per-
 spicue ante oculos posita. VI. Hæc
 unica & perspicua regula ex S. Scriptura
 demonstratur VII. hanc nostram senten-
 tiam etiam Patrum testimoniis VIII.
 necnon ipso jure Pontificio comprobare
 parati sumus. IX. Aliam regulam
 non admittimus. X. Errant, qui alia
 dogmata vel cultus adstruunt XI. vel
 S. Scripturam esse ambiguam, & ob-
 scuram affirmant XII. oppositum Ca-
 tholicorum dogma rejicimus. In Pri-
 ma igitur Sessione Hailbrunnerus ex
 S. Literis comprobatum ibat, ne huic
 verbo Dei scripto quicquam addatur,
 esse præceptum, postquam responsum,
 additiones repugnantes, non vero Verbo
 Dei consonas prohiberi, Hailbrunnerus
 digressionem facta Ecclesiasticas Veteris
 legis traditiones sibi ostendi petebat,
 quod & a Gretsero præstitum, mox au-
 tem tam Hunnius quam Hailbrunnerus
 ad varia de remedio infantium ante
 octavum diem decedentium dilapsi sunt.

§. XXXVII.

Session II. usque ad decimam.

G 4

Die

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Die vigesima nona Novembris secunda habebatur Sessio, in qua Gregerus repetitis iis, quæ pridie fuere disputata, ex ipsis Sacræ Paginæ testimoniis, ac præcipue ex Isaiaë cap. 8. demonstratum ibat, quod Judæi reprehensi fuerint, eoquod repudiata Dei lege Augures & Pythonissas consulere, dein mota est quæstio de Moyse, summisque Sacerdotibus, qui in fidei controversiis definiebant, & a se definita populo credenda in veteri lege publica auctoritate proposuerunt: ubi ad inutiles quæstiones digrediebantur Lutherani, an Moyses vel Aaron fuerit summus Pontifex, & utrum Aaron vituli adorationem duntaxat permiserit, vel ipsemet idololatriæ auctor exstiterit. Tum vero in Hailbrunero notabilis in disputando hallucinatio detecta est, dum ita argumentabatur: *id tantum est norma, ad quod Deus nos ablegavit, sed ad legem scriptam nos ablegavit, ergo hæc est tantum norma, cum tamen juxta Dialecticæ leges ponere debuisset, sed Deus nos tantum ad legem scriptam ablegavit; Catholici enim Doctores omnino admittebant, quod S. Scriptura sit norma infallibilis, ad quam Deus non minus Hebræos ablegabat, quam ad Moysen, Prophetas, & Sacerdotes legi scriptæ consona docentes.* In tertia Sessione, quæ

quæ eadem die hora undecima meri- Sæc. XVII.
 diana habebatur, Tannerus Hailbrun- A. C. 1601.
 neri argumentum de Aarone confuta-
 turus ostendit, nunquam demonstrari
 posse, quod Aaron & Judex & Ponti-
 fex dixerit, vitulum esse adorandum:
 Ex aduerso Hunnius ex Caiphæ exem-
 plo demonstrare nitebatur, quod sum-
 mus Pontifex errare possit: ubi vero
 a P. Tannero responsum fuerat, quod
 etsi tum ordinaria potestas & Sacerdo-
 tium nondum fuerit penitus abrogatum,
 summa tamen iudiciaria potestas tum
 non penes Caipham, sed Christum Do-
 minum exstiterit, eaque etsi a Cathe-
 dra Moyse abstraheretur, nequaquam
 tamen a tota Ecclesia abstrahi posset,
 quia Cathedra est temporalis, Ecclesia
 vero perpetua, Hunnius quo se verte-
 ret nescius, eo prolapsus est, ut cum
 Judæis Moyse Cathedram non esse tem-
 poralem, sed æternam esse affirmaret,
 cuius errorem suppressurus Hailbrunne-
 rus sermonem detorquebat ad Uriam
 summum Sacerdotem, variis tamen suis
 parasangis nunquam evincere valuit,
 quod Urias ut Pontifex aliquid desinien-
 do erraverit: eapropter pro veteri hæ-
 reticorum more summum Pontificem,
 velut duplicem hominem seu hypocri-
 tam convitiari cœperant. Postea Hail-
 brunnerus ex variis S. Paginæ testimo-
 niis

Sæc. XVII niis demonstrans, quod omnes, qui
A. C. 1601. Veteri lege suos cultus secundum ver-
 bum scriptum instituerunt, Deo placue-
 rint, perperam inferebat, quod hoc
 Dei verbum sit norma sola & unica, ad
 quam unice respexerint: attamen
 probare haud poterat, cum tamen Ca-
 tholici Doctores ex Deutr. 32. & 17.
 eidem ostenderent, quod Reges & Prin-
 cipes olim non tantum ad scriptum
 Dei Verbum, sed & ad traditiones Mo-
 jorum intenderint, & præter scriptum
 Dei mandatum instituerint cultum Deo
 acceptum, sicut David cantores, cytha-
 ras, templi ornatum, 1. Paral. 15. 17.
 alii translationem majoremque solemnita-
 tatem festi Paschalis, necnon prolon-
 gationem festi ad septem dies 2. Paral.
 30. 35. & ad futura tempora Esther
 quæ tamen omnia in sacris literis man-
 data non habebantur. Die trigesima e-
 jusdem Mensis Sessio quarta præsen-
 tibus Bavaro, Palatino Ducibus & Lu-
 dovico Landgravio Leuchtenbergensi
 habebatur. In ea Hailbrunnerus hoc
 proposuit argumentum: „qui punivit
 „cunctos a scripto Dei verbo recedentes,
 „tes, ipso facto testatur, scriptum ver-
 „bum debere esse unicam regulam, sed
 „Deus &c. ergo. Cum autem hæc ar-
 „gumentatio haud absimilis esset huic: Si
 „Deus transgressores quarti præcepti
 „puni-

„punivit, ipso facto testatus est, quod Sæc. XVII.
 „hæc sit sola norma Religionis & morum,“ A. C. 1601.
 hinc Catholici Doctores propositionem,
 quam Majorem vocant, præter Luthe-
 ranorum expectationem negabant, cum
 autem duntaxat ad minoris probatio-
 nem accincti essent, Hailbrunnerus &
 Hunnius non sine magna confusione fa-
 tæri coacti sunt: *putabamus majorem non*
negatum iri. In quinta Sessione die pri-
 ma Decembris hora septima anteme-
 ridiana de eodem argumento discepta-
 tum, ubi P. Thannerus ad utriusque
 Doctoris Lutherani objecta respondit.
 Eadem die horis pomeridianis in Ses-
 sione sexta Hunnius ad nauseam textus
 ex Deuter. cap. 4. 5. & 12. recoxerat,
 hinc P. Tannerus ab eodem petiit, ut
 de vero horum textuum sensu amice
 & citra molestam dictationem secum
 ore non calamo congregi velit: quod
 tamen, cum ab eo impetrare nequiret,
 prolixo sermone rursus ad omnes ad-
 versariorum objectiones respondit, quæ
 Hunnius confutare nitebatur. Postea
 tamen die secunda Decembris ad redi-
 mendum tempus jussu Principum san-
 citum est, ne imposterum ad calamum
 dictetur, sed singula argumenta in for-
 ma Dialectica figillatim discutiantur,
 quo discussio ad alterum procedatur. Die
 tertia ejusdem Mensis celebrata est Ses-
 sio

Sæc. XVII. sio VII. & VIII. in qua Hunnius com-
 A. C. 1601. probare aggrediebatur, traditiones dog-
 maticas, quæ nec in Scripturis exstant
 nec exinde deduci possunt, esse contra
 Scripturas, quæ tamen omnia utpote jam
 sæpius recocta nullo negotio a Tannero
 refellebantur: postea Hunnius per
 varios errabat ambages, demonstrando
 impar, quod omnis scriptura sit ita per-
 perfecta & sufficiens, ut omnibus exclusis
 sola instruat hominem ad vitam æter-
 nam, & ut ex ea sola hæreses sufficien-
 ter confutari queant. Tandem Run-
 gius ut hærentem Hunnium extrica-
 ret, quam plurima Sanctorum Patrum
 & Juris Canonici testimonia protulit,
 quibus perfectionem, perspicuitatem &
 auctoritatem sacræ Paginæ comprobari
 putabat: attamen P. Tannerus ad sin-
 gula respondens, ostendit, quod cur-
 ctis hisce testimoniis duntaxat probetur,
 Sacram Scripturam esse normam quam-
 dam, non tamen unicam. In Sessione
 IX. & Decima, quæ die quarta Decem-
 bris habebatur, actum est de altera parte
 Colloquii seu de Judice controversia-
 rum, ubi Tannerus sequens proposuit
 argumentum: „In omni Republica be-
 „ne ordinata præter scriptam legem al-
 „lius vivus Judex requiritur, ergo e-
 „tiam in Ecclesia bene ordinata Matth. 1.
 & ad Hebræos 3. requiritur Judex, qui
 sicut

ficut Salomon gladio Divini verbi Sæc. XVII. A.C. 1601.
 veritatem a falsitate dividat. Dum vero Hailbrunnerus misero effugio hanc
 difficultatem declinare studeret, asse-
 rens, regnum Christi non esse de hoc
 mundo, Humnius suppetias ferens af-
 firmabat, quod ipsi quoque extra Scri-
 pturam Judicem, scilicet Deum ipsum
 agnoscerent, cum autem urgerent Ca-
 tholici, quod etsi Deus per scripturas
 locutus esset, nihilominus in fide diffi-
 dentes hujus Judicis verba quisque pro
 sua causa allegaret, ac quivis se pro
 victore gereret, hic suos Ministros, tan-
 quam fidei Judices adstruere compelle-
 batur: interrogatus vero, quo tandem
 judicio standum foret, si diversarum Ec-
 clesiarum Ministri uti Calvinistæ & Lu-
 therani, vel ipsimet inter se in opposi-
 tas abirent sententias? insulse respon-
 dit, in terris nonnisi *judicium inchoatum*
 esse, in altera vita primum expectan-
 dum esse judicium consummatum, ex
 quo tamen inferre liceret, quod nulla
 in hac vita controversia certo componi,
 nec verus judex ab erroris Magistro di-
 scerni posset. Postmodum quo arden-
 tius Lutherani sese ab hac difficultate
 expedire nitebantur, eo pejorem suam
 reddebant causam, utroque Doctore
 fateri coactis, quod *ex testimonio Eccle-
 siæ primitivæ* duntaxat sciamus Evan-
 gelium

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

gelium Nicodemi non esse Canonicum bene tamen illud D. Matthæi, ac de Canone non possit constare, nisi ex primitivæ Ecclesiæ assensu. Pejus vero suis consuluere, asserentes, quod de traditione circa S. Libronum Canonem ne unquam dubium aut controversia fuisset mota; si enim præter S. Literas unica admittitur traditio, corrumpitur principale Lutheranorum argumentum ex cap. Deuter. petitur. Præterea minime præterendum, quod Hunnius dum inter arcta prehensus admiserat aliquid necessario credendum tanquam historiam a Spiritu Sancto *traditam*, Protestantes hanc vocem *traditam* sibi exofam, non advertentibus Catholicis, cum acta fuerint recognita, deleverint, subrogato verbo *descriptam*: cum autem ex rasuræ vestigiis fraus & verbum *traditam* adhuc satis distincte legi potuerit, atque in authentico *Protocollo* Monacensi utriusque partis chirographo & sigillis munito illud cernere licuerit, hinc Protestantes hunc postea dolum excusantes agebant, quod Monacenses Paginæ in promptu non fuerint.

§. XXXVIII.

Sessio XI. usque ad XIV. seu postremam.

Sessio

Sessio XI. die quinta Decembris hora ^{Sæc. XVII.}
 septima meridiana inchoata est, in A. C. 1601.
 qua Tannerus hoc proposuit argumen-
 tum. „S. Scriptura præter seipsam e-
 „tiam traditiones commendat, 2. ad
 „Thessal. 2. non igitur rejiciendæ sunt,“
 ad quod tamen Protestantes nil nisi
 verba & voces reponerant, dicentes,
 hæc traditiones esse quidem *Ecclesiæ*
testificationem, quæ admittenda foret,
 non tamen proprie traditionem. In
 Sessio XII. eadem die habita idem
 discutiebatur argumentum, actumque
 de *parvulorum* Baptismate, & de non
 rebaptizandis ab hæreticis, quæ omnia
 in S. literis diserte non habentur, nec
 seclusa auctoritate Ecclesiæ evidenter
 ex iis deduci valent, ut tamen Augu-
 stanæ Confessionis Doctores apud vul-
 gus existimationis suæ jacturam non
 facerent, Hunnius exclamabat: *Peto,*
ut Notarii in acta referant, quod nihil ad
argumenta responderit Tannerus, nec re-
spondere poterit: mox vero Tannerus
 vicissim majusculis literis notari petiit,
 quod D. Hunnius suas demonstrationes
 proposuerit, & sane nullam earum
 probaverit. Postea idem sex D. Au-
 gustini recitabat testimonia, quæ ad
 finem actorum inserta habentur, sub ti-
 tulo: *Traditiones etiam non scriptas esse*
servandas. In Sessio XIII. die septima
 Decem-

Sæc. XVII. Decembris habita actum est de tertio
 A.C. 1601. parte Colloquii seu de Judice contro-
 versiarum: hanc in rem Tannerus in-
 differebat: omnes controversiæ ad Ec-
 clesiam, utpote ab ea judicandæ, de-
 ferri jubentur Matth. 18. illa ergo
 Judex omnium &c. cum autem Hun-
 nius ad declinandam responsionem ver-
 fute evagaretur, Tannerus eidem ex-
 probabat, quod semper *tergiversari* &
fallere velit: mox Hunnius ad Sereni-
 simum Baviariæ Ducem conversus ait:
Serenissime! affecti sumus injuria, dum
aliquoties vocati sumus versipelles: cui
 Dux reposuit: *vos appellastis Romanum*
Pontificem Antichristum, quæ est clarissima
& insignis injuria, ad quæ Hunnius de-
 bitæ reverentiæ immemor obgannite-
 ausus, *oportet inquit, scapham appellari*
scapham, ligonem ligonem, in nostris Ecclesiis
id non est injuria. Ast huic Blateroni Dux
 respondit, *hæc est insignis injuria, quæ*
redundat in omnes Catholicos. Sopita hu-
 jus Prædicantis petulantia Tannerus a
 suo adversario sciscitabatur, *an aliquid*
credendum sit, fide infallibili, quod nec in
S. literis diserte, nec ex ea evidenter dedu-
catur: sed integra absumebatur hora,
 donec tandem Hunnius *categoriale,* ut
 scholæ loquuntur, responderit, quem
 Hailbrunnerus adjuvit contra leges
 sancitas dictans: quocirca Baviariæ
 Dux

Dux ipsum interpellans ajebat: *quæso* Sæc. XVII.
in forma respondeat, & non dictet, ad A. C. 1601.

quæ nonnisi ridicula verborum concertatio sequebatur. Die septima Decembris instituta est mane Sessio ultima, in qua Gretserus ita differebat: Post Ecclesiæ sententiam in foro hujus vitæ non sequitur alia sententia, nec judex, qui clare & distincte ferat sententiam, illa ergo est judex absolutus omnium controversiarum. Sic Arius, Nestorius, Macedonius, Severus &c. manent hæretici damnati, non ob damnationem solius Scripturæ, sed Ecclesiæ, cum præter Ecclesiam nemo clare & distincte judicare potuerit, quod Spiritus sanctus in scripturis hoc hæreticos damnarit. Tandem Hunnius ulterioris responsi molestiam a se amoturus, dixit: *jussus sum a Principibus hoc argumentum concludere,* nihilominus, cum de tali mandato minime constaret, Catholicis difficultatem urgentibus compulsus est, ut fateretur, quod *interveniente medio orationis fideles Sacram Paginam velut suum Judicem agnoscere debeant,* cum autem Tannerus objiceret, quod Sancti & eruditi Viri medium orationis adhibentes, nonnunquam tamen in errores prolapsi sint, pene obmutuit Adversarius, unice dicens: *ego judicium committo toti Auditorio,* cui Tannerus

Hist. Eccles. Tom. LIII.

H re-

Sæc. XVII. repofuit: *Et ego iudicium permitto A-*
A. C. 1601. ditoribus, an recte responderis. His
 agitatis Maximilianus Dux annuens
 Palatino colloquium abrumpi jubet.

§. XXXIX.

Colloquii Succellus.

*Relat. de
 ortu & pro-
 gressu Col-
 loquii ed.
 Monachii
 ann. 1602.
 Argentre
 coll. judic.
 Tom. 3.*

*Colloquium
 edit. secun-
 da Lauing.
 1602.*

Hujus colloquii acta Ratisbonæ die
 vigesima quarta Decembris primæ
 a duobus Boici Ducis Consiliariis
 totidem Notariis necnon a sex partibus
 Theologis partim Tabulariis subscripta
 ac sigillo munita fuere, per Catholicos
 Ingolstadii & Monachii, a Protestan-
 tibus vero Wittembergæ anno sequentis
 typis edita. Eodem quoque anno Neo-
 burgenses Theologi non modo edito
 quodam scripto suas hallucinationes ex-
 cusare nitebantur, sed & Georgius
 Gauglerus, qui Palatino a secretis, hu-
 jusque Colloquii Notarius erat, latino
 primum, mox Teutonico sermone ean-
 dem acta Lauingæ edita adeo corrupit,
 ut Andreas Montanus triginta quinque
 loca aperte depravata annotaverit.
 Ejusmodi fallaciis freti Protestantes ce-
 cinere de more suo sine victoria trium-
 phum, quamvis Catholica veritas ap-
 aperte triumphasset, prout P. Tannerus
 in sua relatione de ortu, progressu &
 fine hujus colloquii demonstratum ibat,
 qui

qui, si a Lutheranis publice devictus Sæc. XVII.
 fuisset, certe Maximilianus Dux A. C. 1601.
 præcipere haud fuisset compulsus, ut
 sui satellites eum ejusque socium post-
 remis colloquii diebus mane & vespere
 ad eorum ædes comitarentur; hos e-
 nim veneno aut gladio e medio tollen-
 dos minabantur Lutherani. Prodiit
 quoque anno 1608. hujus colloquii cen-
 sura Catholica ex libris Alphonsi Tostati
 eruta, quæ quidem in Bibliotheca S.
 Genovesæ Parisiis n. 123. asservatur,
 dubiæ tamen fidei esse videtur. Utut
 autem res se habeat, id tamen omni-
 no compertum est, quod Wolfgangus
 Guilielmus Philippi Ludovici Palatini
 Ducis Filius hæres, a tempore hujus
 colloquii, cui pariter intererat, circa
 sectæ suæ veritatem semper dubius hæ-
 serit, ac demum post obitum Serenissi-
 mi sui Parentis anno Christi millesimo
 sexcentesimo decimo quarto Disseldorffii
 ejurata hæresi publice Catholicam fi-
 dem professus sit. Pariter ab hoc tem-
 pore tam Ratisbonæ quam alibi quam-
 plurimis Lutherus tantopere delipere
 cæpit, ut præter Joannem Weininger
 artium liberalium Magistrum necnon
 Georgii Friderici Badensis Marchionis
 Sæcellanum, Helfricus Ulicus Hunnius
 Marpurgæ juris Professor, Ægydii Hun-
 nii, qui in hisce comitiis disputabat,

H 2

Filius

Sæc. XVII. Filius ad veram fidem ea ex caussa, quia
 A. C. 1601. Lutheri doctrina ex sua natura perversam vitam instillat, reversus sit, qui etiam hanc in rem præter alias dogmaticas lucubrationes *indissolubilia Catholicæ Religionis argumenta* edidit: Præterea post hujus colloquii exitum plusquam sexaginta celebriores Viri hæresin ejurabant.

XL.

Secundum Ratisbonense Colloquium.

*Hist. Prov.
 Soc. Germ.
 Dec. 7.
 Binner Apparat.
 Sæc. XVII.
 Art. 7.*

Anno priori Ingolstadiensibus literis excusus prodierat libellus, auctore vel vero vel ficto, Conrado Andreae Jacobi Andreae fratre, in quo hic ironice Lutherum *innocentem, humilem, veracem, Christianum, devotum, fidelem, Angelicum, Biblicum, Gravem, castum, Sobrium, & denique cygnum* appellans, ex ipsis Lutheri verbis eundem omnino oppositis vitiis scatuiffe demonstrabat. Quindecim omnino ejusmodi libelli vulgabantur, ex quibus tres, cum abs controversia P. Conradus Vötter Jesuita elucubratus esset, ac Philippus Hailbrunnerus edito libello Magistrum suum injuste accusatum, accusatorem vero sublestæ fidei Virum traduceret, Bavariæ Dux finito Ratisbonensi colloquio die nona Decembris hora post meri-

meridiem secunda in aulæ Episcopalis Sæc. XVII.
 conclavi conventum, qui vulgo *Post-* A.C. 1601.
Colloquium dicebatur, haberi voluit, eo
 fine, ut solus P. Vötterus & Hylinus
 unacum Hailbrunnero compararent, &
 intra horæ dimidium, inspectis tam
 Vötteri quam Lutheri libris indagarent,
 an jure vel injuria hic novæ Sectæ Fa-
 ber fuerit accusatus. Convenerant ve-
 spere præter præfatos ex parte Catho-
 licorum Bavarizæ Dux cum Fratre suo
 Alberto, & Georgius Fronbergius Lan-
 dishutanus Vice - Dominus necnon
 Joachimus Dornspergius Cancellarius.
 Ex A catholicis præter Philippum Du-
 cem ejusque Filium Wolfgangum com-
 paruere Ludovicus a Sperberfeck Au-
 læ Præfectus, & Georgius Ludovicus
 Frelich Cancellarius, qui ambos Heil-
 brunneros comitabantur. His confi-
 dentibus P. Hylinus ex Principibus
 sciscitabatur, an ad liberandam Vöt-
 teri fidem verba duntaxat Lutheri, vel
 sensus etiam verborum requirerent, qui-
 bus duntaxat verba cum Lutheri libris
 concordari postulantis Vötterus scri-
 ptum protulit, in quo Hailbrunnerus
 duntaxat quatuordecim locos sibi e Lu-
 thero ostendi petebat, atque ex octo
 allatis editionibus primum locum tam
 integra fide depromptum prælegebat,
 ut Hailbrunneri nonnisi propudioso si-

Sæc. XVII. A. C. 1601. lentio respondere potuerint. Idem accidit in quatuor aliis locis, qui integre cum Lutheri verbis convenire deprehendebantur. Mox Vötterus petebat, ut Philippus Hailbrunnerus ostenderet, quo loco Jesuitæ scripsissent: *gravius esse peccatum, matrimonio jungi quam fornicari*: ad hæc respondit Jacobus Hailbrunnerus, ejus Frater, id a Catholicis doceri de Virgine castitatis voto ligata: asserentibus autem Catholicis Doctoribus, hanc totius Ecclesiæ esse sententiam, Doctor Lutheranus opposuit, quod D. Hieronymus Virginem Deo dicatam, si uri se sentiret, nubere jussisset, locum monstrare jussus, epistolam ad Eustochium falso allegabat, perlecta autem alia epistola scilicet ad Demetriadem nec syllaba quidem reperiri poterat, deprehensumque est, quod hic Lutheranus duntaxat objecta ad tuendos suos errores ex Bellarmini contraversiis proposuerit, dissimulatis ejusdem responsis. Postea Lutherum suum, contra Vötteri libellum, cui titulus: *Lutherus verax*, vindicare jussus varia tergiversatione impositam spartam declinabat: cum vero vicissim Lutherani peterent, ut Vötterus ostenderet, quod Lutherus de seipso scripsisset: *Ego sum Christus*, ambo Hailbrunneri hanc temeritatem misero effugio excusare nitentur:

Tom. I. edit.
Wittemb.
S. 2. fol. 96.

bantur: dein Hailbrunnerus spurciffi-
 mos locos ex tomo octavo stercorei sui
 Magistri legere jussus in ipso lectionis
 progressu foetorem haud ultra sustinuit,
 nec ullis precibus, ut pergeret, exorari
 potuit. Parcebatur Viri verecundiæ,
 cumque locus proferretur, in quo Lu-
 therus renitente conjuge ancillam ad-
 eundi marito potestatem facit, & Lu-
 theranus reponeret, quod id in exem-
 plum nunquam iverit, mox ejusmodi
 exemplum ex Joannis Pistorii anatomia
 allatum est. Prolatis postea ceteris P.
 Vötteri libellis, ac cum suo fonte colla-
 tis omnia convenire deprehendebantur,
 demum sermone aliorum distracto de
 jurgiis, quibus in fidei controversiis
 Hunnius & Huberus ambo Protestan-
 tes, inter se collidebantur, necnon de
 Jesuitarum doctrina aliisque ultro citro-
 que decertatum est. Hac igitur discep-
 tatione ad quatuor horas protracta am-
 bo Juniores Principes Albertus & Wolf-
 gangus Vötterum & Hylinum amice
 in conclavi detinuere, quos Maximi-
 lianus & Palatinus Duces ad cœnam
 invitabant, quam tamen gratiam hi
 omnino deprecantes domum reversi
 sunt: ambo autem Hailbrunneri, qui
 discessum simulabant, cum Palatinis Mi-
 nistris cœnam sumpsere, in vulgus falso
 spargentes, se Principum Mensæ adhibi-

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

Jen. edit.
 §. I. fol. 215.

Tom. 2.
 Jen. edit.
 fol. 310. §. 2.

Sæc. XVII. tos, Jesuitas vero torvo vultu domum
 A. C. 1601. recedere iussos. Paulopost Philippus

Hailbrunnerus hujus Post-colloquii relationem amicis suis scriptam communicabat, quo comperto P. Vötterus anno Christi millesimo sexcentesimo secundo sub nomine Conradi Andreæ libellum Ingolstadii teutonico idioma edidit, cui titulus: *Revocatio publica, qua Conradus post Ratisbonensē colloquium sponte in se reversus, nunc in optima forma profitetur, quod Lutherō in suis quindecim editis libellis; sub titulo Lutherus innocens, injuriam fecerit.* Hunc libellum ipsi Hailbrunnero tanquam præcipuo hujus ironicæ revocationis Autori dicabat. Eodem anno idem Conradus ibidem alium vulgabat libellum ita inscriptum: *Elegans munusculum in honorem Philippi Hailbrunneri, suique Fratris, & Neoburgici Prædicantium Consistorii ob nuper divulgatum Ratisbonensē Post-colloquium cum sensione prompti responsi specialiter & ad interim nuncupatum.* In hoc postremo libello veluti decimo sexto argumento Author ad confutatam suam Post-colloquii narrationem respondens comprobatum reddebat, qualiter Lutherus in desolata Germania innocens sit. Eodem argumento anno 1606. Monasterii in Westphalia & anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto Strau-

Straubingæ per Conradum Andreæ a-Sæc. XVII.
 lius libellus sub titulo: *innocens Luthe-* A. C. 1601.
rus, prodiit.

§. XLI.

*Novæ Benedictinorum Congregatio-
 nis initia.*

Auspiciore successu necnon uberiore *Hist. Eccles.*
 Ecclesiæ proventu hoc anno in Lo- *de Lorrain.*
 tharingiæ Ducatu perficiebatur nova Be- *tom. 3. l. 33.*
 nedictinorum Congregatio sub invoca- *du P. Calmet.*
 tione SS. Vitonis & Hydulphi Viroduni
 erecta, cujus egregium reformationis
 exemplum plures Franciæ Conventus
 Ordinis S. Benedicti postea adoptarunt,
 unde approbante Ludovico XIII.
 facta Lotharingorum a Gallis divisione
 celebris admodum exorta est Congre-
 gatio S. Mauri. Novæ autem hujus
 Reformationis hæc erant initia. Civi-
 lium bellorum calamitas, ac hæresum
 licentia sensim non modo populum
 sed & Clerum morum pravitate atque
 opinionum libertate usque adeo corru-
 perat, ut in antiquioribus etiam Mo-
 nasteriis disciplina ferme penitus col-
 lapsa videretur. Quocirca jam ante
 sex annos Carolus Lotharingus Cardi-
 nalis a Gregorio XIV. legatus a latere
 nominatus convocatis Legationis suæ
 Abbatibus cuncta Monasteria ad seve-
 riorem

H 5

riorem

Sæc. XVII. riorem disciplinam revocare contituit
 A. C. 1601. spe tamen sua frustratus; hæc enim
 gloria Erico Valdemontii Principi &
 Virodunensi Episcopo reservata videba-
 tur. Hic propositum suum manifesta-
 Jesuitis, quibus tantopere addictus erat,
 ut Anno Christi millesimo sexcentesimo
 primo nonnulli oblato libello apud Hen-
 ricum Franciæ Regem quererentur,
 quod hic Antistes totus ab arbitrio Je-
 suitarum dependeret, atque ex ipso-
 rum instinctu cuncta Ecclesiæ officia
 non nisi Viris eorum Societati propensis
 concederet, proin necessarium foret,
 ut Jesuitis Confessiones excipiendi fa-
 cultas demeretur, eorum Congrega-
 tione penitus suppressa. Dissipata hæc
 tempestate nihilominus in præconcepto
 Benedictinos in Lotharingia reforman-
 di proposito perseverat, ac inter cete-
 ras Abbatiam S. Vitonis, quam fidu-
 ciario nomine possidebat, velut angu-
 larem novæ disciplinæ lapidem potissi-
 mum eo nomine seligit, quod Monachi
 ibidem sine offensione viverent, & eo-
 rum potissimi Jesuitarum Sodalitati,
 quam *Congregationem* appellitant, ad-
 scripti essent. Habito igitur tam Cle-
 ricorum quam Regularium conventu
 præfatam Abbatiam lustrat, quo facto
 Religiosi Patrem Desiderium de Cour
 ad Prioris Officium communi suffragio
 nomi-

nominant. Hic Vir tam profunda eminebat humilitate, ut huic oneri nunquam suos supposuisset humeros, nisi ipsemet Episcopus eidem ob oculos posuisset, quam gravem Deo redditurus esset rationem, si saluberrimum reformationis negotium sua præpediret pertinacia.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XLII.

Difficultates ex novæ disciplinae proposito exortæ.

Interea Ericus, prout promiserat, a summo Pontifice Clemente VIII. diploma impetrabat, vi cujus P. Desiderius Abbatiam S. Vitonis e solutiore disciplina ad primævum S. Benedicti institutum reducendi, ac reluctantes Ecclesiasticis etiam censuris coercendi facultatem obtinuit. Pontificiis hisce literis in Religiosorum confesso perlectis de opportunis hanc Reformationem ad exitum deducendi mediis agebatur, ubi plurimorum sententia eo abibat, per nova statuta Religiosos unice ad id compellendos, ut servatis tribus Votis absque Superioris permisso e Monasterio ad urbem nonnisi comitante socio exirent, simulque ea, quæ privatim possiderent, in commune referrent, cunctisque de omnibus ad mensam, & vesti-

*Chronic.
S. Bened.
tom. 4. c. 9.
fol. 183.*

Sæc. XVII. vestitum necessariis per Superiorem liberaliter provideretur, ac denique ipsum integrum foret, finito prandio animum honesto ludo recreare. Finita hac deliberatione Episcopus Monachos adesse iussit, eisdem indicta anathematis pena injungens, ut quivis pecunias & pretiosa, quæ haberent, in medium proferrent, sponsione facta, quod si sani siue infirmi forent, deinceps nihil ipsis deesse pateretur. Jussis sine moræ parvare Monachi: dum vero de ceteris novæ disciplinæ articulis sensim exequendis agebatur, tantæ exin oriebantur difficultates, ut Pater Desiderius, cui novæ hujus reformationis summa nunquam probabatur, Episcopum supplex adiret, ut vel sui officii abdicacionem admitteret, vel aliis mediis Abbatix reformationem promovere studeret, cum nova hæc disciplina potissimæ parti sit odiosa, ac demum vulnus teneret, ulcus vero non sanaret. Igitur Episcopus iterato convocatis Clericis suis hac super re deliberat; non pauci tamen, atque inter eos P. Toroncius & P. la Tour, Jesuitæ, qui in Antistitis animum magnam habebant auctoritatem, severioris, quam proposita esset, disciplinæ proposito vehementer sese opponerent, asserentes, quod veteris regulæ rigorem cuncti præsentis Reli-

Religiosi ferendo impares essent : Sæc. XVII.
 „Ferme omnium, addebat Toroncius, A. C. 1601.
 „hujus Abbatiae Religiosorum indolem
 „mihi perspectam habeo, quocirca spon-
 „deo, quod intra semestre cunctos ad
 „omnia, quæ ab eis honeste exigentur,
 „omnino aptos reddere velim, dummodo
 „alius post alium ad meum mittantur
 „Collegium ibidem, me Ductore, Sacris
 „vacaturi exercitationibus.„ His re-
 „posuit P. Desiderius, quod non modo
 semestre, sed integrum etiam annum
 illis lubens concederet, certus tamen
 foret, quod nullus e Religiosis suis, nisi
 forte unus aut alter, sese reformationi
 sit subjecturus. Prævaluit quidem Je-
 suitæ consilium, sponsioni tamen non
 consonabat exitus; omnes enim Mo-
 nachi sacras hæc commentationes obi-
 bant, quin unus quidem de amplecten-
 da nova disciplina cogitaret: hinc Pa-
 ter Toroncius coram Episcopo fateri
 cogebatur, nil aliud superesse, nisi ut
 Abbatia in probationis domum conver-
 teretur, in qua Tyrones in hujus disci-
 plinæ exercitio adolescerent: de cetero
 de pristina regulæ fervore nequidem
 cogitandum, cum omnes illius severi-
 tate absterrerentur: Attamen P. Desi-
 derius ingenti Religionis zelo anima-
 tus ita respondit, „hoc non hominis,
 „sed Dei opus est, nihilque, quod su-
 „perari

Sæc. XVII. „perari nequeat, S. P. Benedictus illi
A. C. 1601. „quos Deus vocat, imposuit. „ H
 auditis mox Jesuitæ vela vertentes ai
 bant, quod Pater Desiderius nihil pro
 poneret, quod non per plurima sæcul
 a S. Benedicti Filiis ad amussin fuisse
 observatum, sique hoc opus a Deo
 procederet, brevi optatus sequeretur
 effectus: Præterea Episcopo spondebant
 quod viginti quatuor scholares ætate
 ac scientia maturos suppeditare velint
 ut mox veterem Regulam professi Sa
 cerdotio initiari valerent. His ita con
 ventis sancitum est, ut juxta normam
 a P. Desiderio præscriptam reformationis
 initium daretur; unde quamvis Jesuitæ
 nonnisi quatuor Scholares submisissent
 hi tamen die vigesima Januarii Sacro
 habitu induuntur; jam tum esurialibus
 cibus mensa sterni, manuum labor re
 vocari, evulsisque florum radicibus le
 gumina seminari cæperant: nondum
 tamen singulares corporis afflictationes
 Novitiis imponebantur, sola adhortatio
 ne illis facta, ut ludibria, injurias, & ob
 jurgationes, quibus continuo ab anti
 quioribus Monachis, imo ipsis etiam fa
 mulis affligerentur, patienter tolera
 rent. Tam tenue principium exiguum
 perficiendæ Reformationis spem augu
 rabatur: haud parum tamen novi Ty
 rones in suo firmabantur proposito, dum
 Pater

Pater Blasius Valtierus, qui jam ante Sæc. XVII.
 triginta sex annos in Abbacia S. Agerici A. C. 1601.
 Prioris Officio fungebatur, novo huic
 instituto nomen dederat, cui etiam qui-
 dam juvenis, qui in Abbacia S. Vitonis
 jam a septimo ætatis suæ anno pro mo-
 re illius ævi habitum induerat, sese ad-
 junxit. Exacto autem tyrocinii anno
 die trigesima Januarii anno reparatæ
 Salutis millesimo sexcentesimo omnes
 sex hi Novitii solemni votorum sponsio-
 ne sese Deo dicabant, præsentibus ipso
 Episcopo, tribus Abbatibus, quatuor
 Archidiaconis, cunctis ferme Canoni-
 cis, & Nobilium quamplurimis. Jam
 antea iidem Novitii juramenti religio-
 ne sese obstrinxerant, quod nunquam
 Religiosum, qui ad nova statuta exacte
 observanda animum non satis paratum
 exhiberet, novæ Congregationi coop-
 tare, nec Superiorem nisi Regularis ob-
 servantiæ studiosum eligere velint.

§. XLIII.

*Nova Congregatio sub nomine SS.
 Vitonis & Hydulphi a Pon-
 tifice confirmata.*

Jactis hisce fundamentis numerus eo-
 rum, qui novum hoc institutum am-
 plexi sunt, indies tantopere crescebat,
 ut hæc reformatio tandem firmo pede
P. Calmet
 Hist. Eccl.
 l. 33.
 Bullar.
 Cassin t. 2.
 consi. p. 645.

Sæc. XVII. consistere videretur, ac Religiosi, quæ
A. C. 1601. illius progressum impedire desperabant
 novis hisce plantis Conventum suum
 cedere statuerent: quocirca Abbas alio
 loco eisdem extra claustrum assignato
 bonorum divisionem, quæ non ita pri-
 dem illos inter & reformatos facta erat
 ratam habebat. Postea Pater Delide-
 rius clam e Monte Cassino habitum, quæ
 hujus Congregationis Monachi in Ita-
 lia vestiuntur, deferri curavit, eodem
 que indutus in Capitulo comparuit,
 cujus exemplum præprimis Pater Hum-
 bertus Roletus ac postea ceteri omnes
 sequebantur. Hac igitur Abbatia ad
 arctiorem disciplinam tam feliciter re-
 ducta Episcopus eandem quoque in Ab-
 batiam sancti Hydulphi, cujus pariter
 ut vocant, Commendatarius Abbas e-
 rat, propagare statuit, huncque in fi-
 nem a summo Pontifice Clemente VIII
 diplomate obtento præcepit, ut hæc
 Abbatia quatuor Monachis ex Abbatia
 S. Vitonis adventantibus relinqueretur,
 qui etiam in illius possessionem hoc an-
 no die tertia Novembris introduc-
 tur, communicatis omnibus privilegiis,
 quibus Congregatio Cassinensis locu-
 pletata est. Hoc itaque modo exigua
 hæc Congregatio, quæ tum nonnisi ex
 Abbatia S. Vitonis & illa S. Hydulphi
 constabat, prospere erecta Cassinensi
 con-

conjuncta est: postea vero ab eadem Sæc. XVII.
 fuit segregata, & progressu temporis A. C. 1601.
 omnibus Lotharingæ, Bariï, Metis,
 & vicinæ regionis Abbatiis aucta. An-
 no autem Salvatoris nostri millesimo
 sexcentesimo quarto die septima Apri-
 lis Clemens VIII. edito diplomate no-
 vam hanc Congregationem sub nomine
 SS. Vitonis & Hydulphi auctoritate
 Apostolica confirmabat, cunctaque pri-
 vilegia Congregationi Cassinensi, ad cu-
 jus normam hæc erecta erat, a sum-
 mis Pontificibus collata eidem quoque
 indulgebat. Eo tempore tota Congre-
 gatio nonnisi viginti tres Sacerdotes &
 quinque Fratres laicos complectebatur,
 anno autem sequenti Abbatiam S. Mi-
 chaelis, necnon Longevillanam, & an-
 no millesimo sexcentesimo septimo il-
 lam S. Avoldi cum pluribus aliis sibi
 aggregabat.

§. XLIV.

Essexiæ Comes in Anglia captus.

Hunc annum non modo postremum, Thuan.l.125.
 sed & oppido funestum experieba- Mercur.
 tur Robertus Devoreusius Essexiæ Co- Gallobelg.
 mes, qui Elisabethæ Angliæ Reginae ad hunc ann.
 olim in spem usque nuptiarum charus, Rapin. Thoi-
 aut fortunæ blandientis satietate aut ras hist.
 æmulorum invidia, aut proprii criminis d'anglet.
 vit. Cambden in
 vit. Elis.
 Hist. Eccles. Tom. LIII. I cul-

Sec. XVII. culpa non modo regio favore excidit
 A. C. 1601. sed insuper in ferali pegmate vitam finit

Erat in aula Robertus Cæcilius, qui
 Reginæ ab epistolis plurimum apud eam
 dem gratia valebat, ac proin Comitum
 cui diuturna æmulatione infestus erat
 ab Elisabethæ consortio amovere nite-
 batur, eidem falso persuadens, quod
 Essexius ambitione tumidus varia
 Regni perniciem moliretur, ac pro-
 pterea consultum foret, ut obtentu ex-
 peditionis contra rebelles in Hiberniam
 ablegaretur. Placuit Reginæ consilium
 nec spartam recusabat Comes, ea ta-
 men lege, ut quoties reipublicæ expe-
 dire videretur, non expectato Reginæ
 mandato in Angliam redire posset. In
 quoque ejus precibus datum, publico
 diplomate desuper concesso, quod tamen
 simulac Comes in Hiberniam ve-
 nerat, per privati sigilli literas revocatum
 est. Re comperta Essexius sacre-
 tis cum Tyrennio Comite induciis in
 Angliam revertitur: mox vero custodia
 datus ab omni munere publico remo-
 vetur, quæsito obtentu, quod perniciosum
 cum Tyrennio Comite consilia fovens
 indultis induciis seditionem in Hiber-
 nia fovisset: brevi tamen libertati red-
 ditus interdicto duntaxat Aulæ accessum
 ad rusticum prædium secedere jubetur,
 ubi indignatione audaciam acuentem
 primum

primum asperioribus verbis literisque in Sæc. XVII.
 Elisabetham invehitur, postea commu- A. C. 1601.
 nicato cum suis consilio Reginam capere,
 suosque hostes aula exturbare constituit,
 hancque in rem datis ad Scotiæ Re-
 gem literis eidem significabat, quod il-
 lum potentiores in aula Proceres, quos
 inter Cæcilius & Nortinghamus Ante-
 signani essent, a Regni Anglici succes-
 sione dejicere, sceptrumque ad Hi-
 spaniæ Infantem transferre molirentur:
 proin ad dissipanda hæc conjuratorum
 consilia necessarium foret, ut decretis
 in Angliam legatis jus in Regnum sibi
 asseri, cunctosque Hispani Regis clien-
 tes aula & Senatu excludi peteret.
 Præterea, si tamen Cambdeno fides,
 Essexius quosdam Presbyterianos Pa-
 stores, imo & quosdam Catholicos in
 suas partes pertrahere satagens, eisdem
 duram conditionem, ad quam tyran-
 nico Reginæ imperio redacti essent,
 studiose exaggerabat, facta melioris for-
 tunæ spe. His ita constitutis Sontam-
 ptoniæ Comitem aliosque sibi addictos
 convocat, eisdem exponens, quod cen-
 tum & viginti Nobiles ad arma para-
 tos numeraret, qui aut Regium Pala-
 tium invaderent, aut ipsam Reginam
 captam abducerent. Frequentior hic
 Nobilium concursus Essexii fidem sus-
 pectam reddebat, unde Senatu in magni

Sæc. XVII. A. C. 1601. Thesaurarii ædibus habito Comes ad-
esse jubetur, qui valetudinem obten-
dens altera die Londinum cum suorum
quingentis ingredi, populumque ad se-
ditionem concitare decernit: Re autem
per Ferdinandum Gurgum e conjura-
tis unum detecta, Regina ad Drurii
ædes, ubi Essexius cum Rutlandio &
Sontamptonio Comitibus diversabatur,
Burkustum, Worcestriæ Comitem &
Knollerium ablegat, sciscitatu-
ros, quos tandem hic armatorum numerus spe-
ctaret: his reposuit Comes, sibi factum
compertum esse, quod in suam necem
inimici ejus conspirassent, proin in vitæ
suæ defensionem hos amicos esse con-
vocatos: his dictis Legati aliquamdiu
ab Essexio inclusi detinebantur, qui ta-
men in aulam reduces sibi vim ab eo
illatam dicebant. Essexius autem quan-
tocius cum suo agmine Londinum con-
tendit, elataque voce adversus vitæ
suæ insidiatores populi procerumque
opem implorat: cum autem nullos om-
nino motus in sui favorem fieri cerne-
ret, seque in pluribus urbis plateis tan-
quam perduellem præconis voce pro-
clamari comperiret, fuga sibi consu-
lere statuit.

§. XLV.

Extremum Essexii Comitis supplicium.

Jam

Jamjam omnes plateæ Regio milite Sæc. XVII.
 obsessæ, cunctæque urbis portæ oc- A. C. 1601.
 clusæ Comiti fugæ opportunitatem in-
 tercludebant, nihilominus desperatione
 audaciam stimulante sibi sclopetis, enfi-
 busque viam aperire statuit, haud im-
 prospero successus initio; etsi enim suo-
 rum aliquot cæsi, & Bluntus graviter
 vulneratus esset, ipse tamen reflexo ad
 flumen itinere ad ædes suas conscensa
 navicula confugit, ubi tamen a Regi-
 næ copiis undique cinctus, ac sese de-
 dere compulsus unacum Rutlandio & Son-
 tamptonio Comitibus, necnon Cron-
 wello, Sandeo, Montaquila, Daversio
 & Bromleio ad turrim abstrahitur: die
 autem duodecima Februarii Thomas
 Lee intimus Tyrennii Comitis amicus
 crudelitate nunquam audita Reginæ
 jussu perimitur, ea ex caussa, quod
 eum, qui Essexium liberaturus esset,
 egregium facinus perpetraturum dixif-
 set. Postea die decima nona ejusdem
 Mensis Essexius, & Sontamptonius in
 Westmonasteriensi aula coram Judicibus
 sistuntur, moxque accusationis capita
 perleguntur, ea autem hæc erant, quod
 I. Essexius cum suis urbem regiumque
 Palatium vi occupare, ipsamque Regi-
 nam custodiæ dare machinatus sit II.
 Perniciosa cum Tyrennio Comite, Hi-
 spanis, Jesuitis, Catholicis & cum Sco-
 tiæ

Flosc. Hist.
ad ann. 1601.
Cambden
vit. Elizab.

Hugo Gro-
tius Hist.
l. 10.

Sæc. XVII. tiæ Rege consilia agitarit. III. A Regina ad ipsum Delegatos injuriose detinuerit, mortem eis, si discedere tentarent, comminatus. IV. Urbem armata manu ingressus, populum ad seditionem concitarit: Ad hæc captivi nil aliud respondebant, nisi quod nunquam de vi Reginæ inferenda cogitarint, sed tantum adversus hostium suorum molimina opem quæsiissent. Nilominus pronuntiata capitis sententia Rei in Turrim reducuntur, moxque Essexius sibi Athtonem Presbyterianorum Pastorem acceriri jubet. Hic vero, ut testatur Cambdenus, Comitem urgebat, instabatque, ut sincera confessione cuncta, quibus sua gravaretur conscientia, eidem aperiret, abs dubio *æternam subiturus pœnam, si quicquam hanc conspirationem concernens celaret, aut cunctos suos complices prodere nollet:* Hujus Ministelli verbis deceptus Comes plures alios perduellionis reos esse nominatim declarabat, imo hæc ore tenus manifestasse haud contentus, terrore sibi per suum Pastorem injecto, atque accerrimo conscientiaæ stimulo, quo illum perstrinxerat, necnon atrocitate pœnarum gehennalium, quas idem minitabatur, percussus Comes etiam scriptotenus cuncta confirmabat. Perceptis omnibus tandem dies vigesima quinta

quinta Februarii illuxit, qua capitis sententia executioni daretur: eadem autem die Regina misso ad Turrim Tribuno supplicium differri, mox autem illud maturari iussit, quæ mentis fluctuatio, an vera vel simulata fuerit, crebris tamen satyris ansam præbuit, quibus Elisabetha exhibebatur tanquam mancipium, quod a libidinis, iræ, vindictæ & ambitionis affectibus quaquaversum raptaretur: nihilominus præstituta die Essexius e Turri ad ferale pegma deductus tertio demum ictu capite plexus est, quod Londinensi turri affixum diu spectaculum Reginæ præbuit. Die autem decima Martii Daversius, Merikius, Darius & Cussius extremo supplicio necati sunt, idem quoque fatum subiit Christophorus Bluntus, qui in Catholicæ fidei professione constans obiit: Comes vero Sonthamptonius, necnon Henricus Newillus Franciæ legatus in carcere ad Reginæ arbitrium captivi detinebantur.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XLVI.

Petri Bocherii obitus.

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno mortalitatem exuerunt, primo loco recensendus venit Petrus Bocherius, qui Gandavi in Flandria natus, qui hoc

*Aubert.
Miræ.
Script.
Sæc. XVII.
Sweert.
Ath. Belg.*

Sæc. XVII. humanioribus literis tantam navabat o-
 peram, ut latini & Græci idiomatis pe-
 ritia clarus ingenii sui aciem non sine
 omnium admiratione excoleret, ac ubi
 uberrima excogitandi, gratoque lepore
 describendi facultate præditus de quo-
 vis obvio argumento carmina pangeret,
 inter quæ præcipue celebratur *Tumul-
 tus Panicus seu Belgicus* heroico car-
 mine conscriptus. Ingenuis tamen hisce
 artibus ingenii sui amplitudo haud ex-
 pleri potuit, unde animo ad severiores
 disciplinas admoto intra exiguum tem-
 poris spatium profundissima Theologiæ
 arcana mira facilitate assequebatur, ac
 Lovanii Doctoratus laurea decoratus
 ad Christianæ Reipublicæ utilitatem
 haustæ scientiæ proventus impendere
 statuebat, quocirca ferventibus Belgi-
 cis tumultibus, quos *Panicos* appellita-
 bat, falsa hæreticorum dogmata fir-
 missimis argumentis confutare adlabo-
 rabat, atque in hac exercitatione in-
 tegros sexaginta annos insumens Bru-
 xellis, Antwerpia, Gandavi, Dordra-
 ci, Lovanii, Hagæ Comitum & Clivæ
 immoto Religionis Zelo publice Theo-
 logiam tradebat, non sine ingenti Au-
 ditorum compendio, ac hæreticorum
 invidia. Erat in refellendis Acathe-
 licorum erroribus acerrimus, in pec-
 catoribus ad meliorem frugem redu-
 cendis

cendis potentissimus, ac in persuaden-
 dis Auditoribus rara facilitate ac effi-
 cacia præditus: neque sacra hac elo-
 quentia tantum, sed & scriptis doctri-
 na & pietate uberrimis sese celebrem
 reddidit. Edidit plura volumina Ho-
 miliarium in epistolas quadragesimales
 & Dominicales totius anni. Opera au-
 tem posthuma, quæ posteris reliquit
 hæc sunt, tractatus in *Missaliturgos seu*
Missæ Osore, Apologeticum pro fidelibus
defunctis: Dialogi duo de Furgio con-
jugali. Enchiridion Theologiæ Pastoralis,
 ac denique Dialogus inter Cenophilum
 & conjugem Eulaliam, in quo Calvi-
 nistarum secta *Christi pellex*, Ecclesia ve-
 ro Romana *Christi sponsa* appellatur.
 Hæc typis edita publicam lucem aspe-
 xere: plura tamen adhuc in Patrum
 Dominicanorum, qui ipsius lucubratio-
 num hæredes existere, Bibliotheca
 nondum typis excusa Gandavi asser-
 vantur, ubi etiam hic Vir annis & me-
 ritis plenus die duodecima Februarii
 anno ætatis suæ octogesimo quarto,
 Salutis nostræ millesimo sexcentesimo
 primo fati cessit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1601.

§. XLVII.

Petrus Tyræus mortuus.

Huic adjungimus Petrum Tyræum
 natione Germanum Novesii ad Rhe-
 num

Miræus
Script.
 Sæc. XVII.
Alegambe
Bibl. Script.

Sæc. XVII. num in Diœcesi Coloniensi natum, qu
A. C. 1601. anno ætatis suæ decimo quinto Socie
 tatem ingressus, ac vario scientiarum
 genere excultus in Academiis Trevi
 rensi, Moguntina & Herbipolensi annis
 septem, & viginti partim Professoris
 partim Concionatoris munere fungeba
 tur, tandem vero assiduo labore in Re
 ligionis utilitatem impenso absumptus
 novem Mensium molesta tabe hoc anno
 die tertia Decembris obiit. Ex libris
 qui typis prostant, sequentes recense
 tur I. duo Tractatus de festo Corporis
 Christi & Sacramentali Confessione Mo
 guntia anno Domini millesimo quin
 gentesimo octogesimo quinto editi. II.
 Anno sequenti Moguntinis itidem lite
 ris excusa prodiit dissertatio de Pote
 state Ecclesiastica III. libelli duo de
 vera fide & jure vocationis contra Pseu
 do-Evangelicos anno millesimo quin
 gentesimo octogesimo septimo Mogun
 tia typis vulgati IV. vix elapso anno
 edidit, Examen thesium Tossani Calvi
 niani, necnon tractatum contra apolo
 giam ejusdem Tossani, unacum libel
 lo de clandestinorum Matrimoniorum
 Justitia. Plures alios conscripsit libel
 los, præcipue vero calamum suum exer
 cuit circa argumentum, quod plerum
 que ex credendi facilitate nascitur, viva
 phantasia enutritur, atque in illu
 sionibus

nibus fenescit, & cum infamia moritur: Exstant enim ab eo plures libelli de varii generis apparitionibus, de obsessis, de locis infestis, nocturnisque terriculamentis, ex quibus non pauca Pater Candidus Brognollius Ord. Minorum in sua Alexicacon mutuatus est.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. XLVIII.

Antonii Carvallii & Antonii Cordesi fata.

Ex eadem Societate inter illius ævi Theologos celebrem se reddidit Antonius Carvallius natione Lusitanus, patria Ullisiponensis, qui humanioribus literis apprime excultus, atque eloquentiæ arte insignis Philosophiam ac denique Conimbricæ, Eboræque Theologiam viginti annis tradebat, obiit Conimbricæ sexagenarius eodem die, quo ante quadraginta quatuor annos Societati nomen dederat. Scripsit commentarios in primam secundæ, & secundam secundæ Divi Thomæ. Alter erat Antonius Cordesius natione Hispanus patria Catalaunus, qui anno Dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo decimo nono in oppido Olet natus, in Societate, quam anno vigesimo sexto ætatis suæ ingressus erat, varia munera non sine laude obibat; tandem vero

*Miræus l.c.
Philipp.
Alegamb.
Bibl. Script.*

Sæc. XVII. vero hoc anno die decima sexta Martii
A. C. 1601. octoginta duos annos natus peste con-
 tactis inserviens ad vitam immortalen-
 tranſiit. Paratum prælo reliquit tra-
 ctatum *de triplici via Purgativa, illumina-*
nativa & unitiva, necnon alios libellos
 de oratione, Sacramentis, & Deca-
 logo. Edidit quoque Florentiæ ſup-
 preſſo nomine *itinerarium Perfectionis*
Chriſtiane, necnon Catechiſmum Ve-
 lentinæ excuſum.

§. XLIX.

Joannis Heurnii extrema.

Thuan. hiſt. Nec ſilentio prætereundus eſt Joannes
 l. 126. Heurnius, pervetuſta familia e Belgio
Frecher. die vigesima quinta Januarii anno
Papadopol. a Nativitate Chriſti milleſimo quingen-
 tom. 2. teſimo quadrageſimo tertio Ultrajeſti
 natus. Hic Lovanii humanioribus li-
 teris ſedulam quidem conferebat ope-
 ram, fortuna tamen juvenilibus ſtudiis
 ſuis adeo non favebat, ut decimum
 quintum ætatis ſuæ annum jamjam e-
 greſſus nondum in Grammatica profe-
 ctum facere potuerit; tandem vero in-
 genii tarditatem indefeſſa diligentia no-
 cturnisque vigiliis expugnans, felicior
 ſucceſſu ibidem ſub Gemma Friſio ad
 artis Medicæ ſtudia animum intendit,
 ac poſtea Lutetiam Pariſiorum profectus
 ſub

sub Ludovico Dureto Regio Medicinæ Sæc. XVII.
 Professore hujus disciplinæ præcepta A. C. 1601.
 celeriter æque ac profunde attigit. Post-
 ea Patavium & Ticinum delatus ibidem
 Medicæ Facultatis Doctor creatus, an-
 no Domini millesimo quingentesimo
 octogesimo primo Lugduni Professor re-
 nuntiabatur, quo munere per viginti
 omnino annos summa cum laude fun-
 ctus die, qua natus erat, undecima Au-
 gusti anno ætatis suæ quinquagesimo
 octavo ex calculo obiit. Præter plu-
 rimas Medici instituti lucubrationes
 scripsit *responsum ad supremam Hollandicæ
 Curiam, nullum esse aquæ innatantium la-
 miarum judicium, & librum de humana
 felicitate.*

§. L.

*Fauhetii, Bernartii, & Franchisi
 obitus.*

Hunc ipsum annum sibi quoque fune-
 stum habebant alii Scriptores eru-
 ditione clari, quos inter primum recen-
 semus Claudium Fauhetum, qui Pa-
 risiis natus, omnique ferme scientia-
 rum genere excultus mira in publicis
 negotiis dexteritate pollebat, quapro-
 pter in Regium rei Monetariæ Præsi-
 dem nominatus ab ipso etiam Cardi-
 nali Turnonio ad Franciæ Regem fer-
 venti-

*Sammarth.
 elog. l. 5.
 Baillet jug.
 des Trad.*

Sæc. XVII. ventibus Etruriæ tumultibus decernitur
 A. C. 1601. batur, qua legatione tam prospero successu tamque singulari prudentia functus est, ut ad altiores honorum dignitates sibi viam sterneret: nec tamen propterea ingens negotiorum moles gratum literarum otium interturbare poterat, quin pluribus iisque eruditissimis lucubrationibus se literariæ Reipublicæ optime meritum redderet. Edidit enim in Gallico idiomate tractatus *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, alios *de antiquitatibus veterum Gallorum*, nec non librum *de origine Equitum, insignium & armorum, quibus Galli olim in bellis usi sunt*, præter plures alios tractatus qui una omnes anno Christi millesimo sexcentesimo decimo Parisiis, anno autem sequenti Genève excusi prodierunt. Hunc sequitur Joannes Bernartius, qui Mechliniæ jurisprudentiam edocuit, haud ingratus Justii Lipsii Discipulus fuerat: Scripsit utilissimum Tractatum *de utilitate legendæ Historiæ*, necnon celeberrimos commentarios in Statium Boetii consolationem Philosophiæ. Pleurimorum adhuc ingenii sui monumentorum spem mortis præmaturæ invidia posteris eripuit; quippe nonnisi triginta annos natus hoc anno Mense Januarii mortalitatem exiit. Postremo loco recensendus est Vincentius Franchis Neapoli-

poli Anno reparatæ Salutis millesimo ^{Sæc. XVII.} quingentesimo trigesimo primo natus, A. C. 1601. qui naturæ beneficio eloquentissimus, insuper facilis omnino & planus in explicandis jurisprudentiæ præceptis, solidusque in applicandis exstitit, quas egregias animi dotes necnon scientiam uberrime hausit in Caussidici munere, quo adolescens adhuc fungebatur, luculentis testimoniis comprobabat: quocirca primo Neapolitani Regni Consiliarius, ac demum Præses a Philippo II. Rege renuntiabatur. Edidit quatuor volumina decisionum sacri Regii Consilii Neapolitani.

§. LI.

*P. Petrus Zarba aliique Carmelitani
Ordinis Scriptores mortui.*

Obiit pariter hoc anno Leocatæ in Sicilia die duodecima Februarii P. Petrus Zabra patria Melitensis. qui decimo octavo ætatis suæ anno Carmelitarum ordinem professus tam insignem in literis profectum fecit, ut non modo Theologiæ Lector, sed & ejusdem Facultatis Laureatus Magister crearetur: Singularem insuper animarum Zelo fervidus inter celebriores ævi sui Ecclesiastes numeratus est. Postea propriis duntaxat suffragantibus meritis Tribunali

Sæc. XVII. A. C. 1601. nali S. Officii Melitenfis Consultor adscriptus per plures annos hoc munus cum indefessæ diligentia ac integritatis laude functus est. Scripsit varios Theologiæ tractatus de Deo uno & trino, de Verbo incarnato, necnon de Gratia: Edidit quoque librum de calibus raris conscientia, ac denique Conciones pro Adventu, quadragesima & Festis. Huic accensendus venit Ludovicus Marion natione Gallus, Provincia Neustrius, Carmelita antiquioris observantia, qui in Conventu Rotomagensi Theologus, Doctor, ac Concionator scripsit septem libros, in quibus habentur Sermones quadragesimales, Adventuales, & Dominicales; nec non unum opus sermonum a Dominica prima post Epiphaniam usque ad Purificationem præter Carmina quædam in laudem Sanctissimi Sacramenti: Inter Ascetas quoque haud postremum locum meretur P. Isidorus a S. Ægidio natione Belga, patria Geldriensis, qui per omnia Religionis exercitia ac munia tam Bruxellensis, Mechliniensis, quam aliorum Conventuum sublimatus, Vir pietate singulari præstans die vigesima quinta Januarii ætatis suæ anno quadragesimo octavo Prior Gandavi naturæ debitum solvit. Edidit opera nonnulla, quæ inscribuntur. I. Vena fontis vitæ

vitæ II. incitamentum devotionis ad S. Sæc. XVII.
 Joseph. III. Spiritualia exercitia IV. A. C. 1601.
 Thesaurus amoris erga B. V. V. Corona Stellarum duodecim. VI. Excitamenta ad devotionem erga imaginem B. V. Neapolitanæ.

§. LII.

Richardi Strinii mors.

Huic merito accensendus venit Richardus Strinius Austriacus Nobilis de Hankius de
 Schwarzenavia, qui anno post Christum descript. rer.
 natum millesimo quingentesimo trigesimo octavo Argentorati humaniores Rom. p. 2.
 literas didicit, ac postea generis sui Thuan. hist.
 splendorem cum impigro bonarum artium studio conjungere intentus, præcipue Philosophiæ, Historiæ ac Theologiæ sedulam navabat operam, tandemque ex crebra librorum lectione tam amplam antiquitatum, & præcipue Romanarum cognitionem, sub magisterio celebris Francisci Hotmani hauriebat, ut viginti annorum juvenis jam eruditissimum opus de *gentibus & familiis Romanorum* ederet. Eapropter eruditionis suæ fama in Imperatoris aulam perlata Rudolpho Cæsari a consiliis esse meruit, ubi inter assidua literarum studia senescens varios dialogos seu apologias pro Fœderatorum Ordinum

Hist. Eccles. Tom. LIII. K num

Sæc. XVII.
A. C. 1601.
num libertate conscripsit, suppresso
men suo nomine, quia Austriacorum
Principum, quorum imperio subiectus
erat, offensionem incurrere verebatur.
Insuper calamum suum in Theologicis
quæstionibus exercens, *commonitorium*
de Roberti Bellarmini scriptis atque libris
præter plures alios Theologicos tra-
ctatus posteris reliquit. Demum vir-
ibus exhaustus hoc anno e vivis exce-
dit, quamvis alii ipsum jam anno prior
obiisse, perperam asserant.

LIII.

Tyhonis Brahei fatum.

Gassend. in
vita Tyho-
nis Brahei
Hist. Thuan.
hist. l. 126.
Ex ipsis etiam A catholicis Doctoribus
nonnulli hoc anno decesserunt, ac-
que inter eos merito primum locum sibi
vendicat Tycho Bracheus, qui Knud-
storpium in Dania Anno Christi mille-
mo quingentesimo quadragesimo sexto
die decima tertia Decembris primam
lucem aspexit. Hic, cum in juvenili-
bus studiis suis jamjam acutissimi in-
genii specimina Hafniæ ederet, a Pa-
truo suo ad Lipsiensem Academiam mite-
tebatur, ubi Joannis Homelii & Bar-
tholomæi Sculteti Magistris usus Astro-
nomiæ egregiam navabat operam, in-
de vero anno Domini millesimo quin-
gentesimo sexagesimo sexto Wittember-
gam

gam, ac paulopost Rostochium secessit, Sæc. XVII.
 studia sua profecuturus. Tertio autem A. C. 1601.
 post anno Germaniam atque Italiam per-
 agratus novis suis instrumentis Mathe-
 maticis magnum ubique nomen sibi con-
 ciliabat. Postea in patriam redux jussu
 Friderici II. Regis Daniæ Theoriam
 Planetarum tradebat, ac in Weena In-
 sula, sibi a Rege donata præaltam tur-
 rim, quam *Urani burgum*, seu urbem
 celestem nuncupabat, extruxit, tutius
 ibidem astrorum motus contemplatu-
 rus. Variis dein adversantis fortunæ
 fati expositus tandem anno Salutis
 millesimo quingentesimo nonagesimo
 octavo Pragam a Rudolpho II. Impe-
 ratore evocatus est, ut ibidem Chy-
 micis suis exercitationibus, necnon
 Mathematicis observationibus huic Cæ-
 sari, qui Alchymix studio vehementer
 oblectabatur, jucundum consortium
 præberet, non sine locuplete laboris sui
 fœnore; quippe præter tria aureorum
 millia pro annuo stipendio propriam e-
 tiam domum, & Benachium castrum
 dono acceperat, quocirca ad improbum
 laborem incitatus, advectis ex Dania
 instrumentis suis Majoribus anno mil-
 lesimo sexcentesimo Pragæ in Cæsareo
 horto præter varias astronomicas ob-
 servationes etiam Rudolphinas Tabu-
 las conficere inœpit, in laboris socium

K 2

Joan-

Sæc. XVII. Joanne Keplero e Græciensi urbe ev-
 A. C. 1601. cato, qui etiam incæptum hoc opu-
 compleverat; Tyho enim anno sequenti
 die vigesima quarta Octobris extreme
 diem clauserat, annos quinquaginta
 quinque natus.

§. LIV.

Tyhonis opera.

*Lexicon
 Universale
 Verbo
 Brahe. Fre-
 herus in
 Theatro
 Vir. erud.*

Præter præfatas Rudolphinas Tabu-
 las Tyho quamplurimas easque de-
 ctissimas posteris reliquit lucubrations
 quas inter pretiosissimum celebratur no-
 vum systema suum Astronomicum; cum
 enim Ptolomæi ideas rejiceret, & Co-
 pernici præcepta minus probaret, inter
 utrumque systema mediam veluti viam
 invenire adlaborabat; quippe in syste-
 matis sui centro terram posuit immo-
 tam, lunamque & solem cum planetis
 fixis eidem circumferri statuit, cete-
 ris Planetis Mercurio, Venere, Marti,
 Jove & Saturno circa solem motum
 suum perficientibus. Celebriorum quor-
 dem Astronomorum judicio Braheus
 suo systemate propius quam Copernicus
 veritati accesserat, negari tamen haud
 potest, quod Tyho præcipuas sui syste-
 matis leges a Copernicano mutavit.
 Scripsit præterea *Historiam cælestem* &
Astronomicæ restauratæ mechanica, epistola
 astro-

astronomicas, progymnasmata astronomiæ Sæc. XVII. instaurandæ. Plures alias lucubrations A. C. 1601.
 nes postmodum Keplerus, cui præclara ingenii sui monumenta, ne perirent, Braheus testamento reliquerat, post ejus obitum typis vulgabat.

§. LV.

Harderi & Glaseri interitus.

Currente hoc anno die decima sexta *Vogelius*
 Febrarii fatis cessit Wolfgangus *Leipzannal.*
 Harderus, qui anno Incarnationis Do-*p. 264.*
 minicæ millesimo quingentesimo vige-*Freheri l. c.*
 simo secundo die trigesima Octobris Lip-
 phæ in lucem editus, a teneris magnam
 ad literas propensionem exhibebat, un-
 de intra exiguum temporis spatium
 Theologus inter paucos solidus, ac in
 scribendo purus & facundus inter suos
 audiebat; his dotibus insignis in patria
 sua Theologiæ Laurea decoratus in Ec-
 clesia ad Sanctum Nicolaum Pastor re-
 nuntiatus est: postquam vero Nicolaus
 Selneccerus, ut appellitant, *Superinten-*
dens, eo quod illorum, qui *Philippistæ*
 vocantur, partes tueretur, officio suo
 altera jam vice amotus fuerat, Harde-
 rus anno Christi millesimo quingentesi-
 mo octogesimo nono ad insignem hanc
 inter Pseudo-Pastores dignitatem pro-
 movebatur, qua tamen tertio post anno
 K 3 pari-

Sæc. XVII. pariter, eo quod Calvinæ doctrinæ fa-
A. C. 1601. fet, abactus est, nihil ejus poenam re-
morante decantata illa conscientie li-
bertate. Tandem vero hoc anno die
decima sexta Februarii nonagenarius
periiit. Elucubravit quosdam sermo-
nes de Passione Domini. Alter erat
Philippus Glaserus Argentorati anno
partu Virginis millesimo quingentesimo
quingagesimo quarto die vigesima no-
na Novembris natus. Is ab ineunte
ætate literis deditus non modo Græcæ
idiomatis peritiam singulari facilitate
adeptus est, sed etiam Historicis cog-
nitionibus ingenium suum mire excolli-
vit. postea vero jurisprudentiæ nomen dæ-
cæperat, cum tanto profectu, ut Ar-
gentorati publice hanc scientiam per
plures annos traderet, tandem vero
hoc anno die prima Augusti mors eiden-
calamum excussit, dum suum *Historiæ*
Syntagma elucubrare aggrediebatur, quo
opus postea Fridericus Philippus eju-
Filius ab hoc anno usque ad annum
Domini millesimum sexcentimum ve-
gesimum octavum profecutus est. Edi-
dit insuper *Synopsin Historiæ universali-*
necnon Syngramma Theoreticæ historiæ.

§. LVI.

Schisma Presbyterianorum in Angli-

Id equidem cunctis hærefibus familiare est, ut vix natæ in varias sectas scindantur, quæ postmodum inter se frequentibus & deficiente supremo iudice perpetuis controversiis colliduntur, nulli tamen magis schismatum numerus ac fervor indies excreverat, quam in Anglia; postquam enim Henricus VIII. ab Ecclesia defecerat, præcipue factio Coxiana, Brownistarum Secta, quæ postea *Independentium* dicta est, necnon Hierarchicorum seu Episcopaliū, & Puritanorum seu Presbyterianorum turmæ propudiosum conflagabant schisma, cujus (ut ingenue fatetur e secta Puritanorum Jacobus Peircius) potissima causa exstitit præpotens Elisabethæ Reginae circa res Sacras auctoritas, qua suo nutu omnia moderabatur: unde contigit, ut liturgia, ceterisque ritibus persæpe immutatis nonnulli rebus Sacris moderandis nonnisi Episcopos præfici, alii rejectis omnibus, quæ adhuc Catholicorum ritus olerent, laicos, eosque ex infima quandoque opificum fœce ad curarum partem vocari vellent, qui etiam veluti eximii puritatis cultores sibi libertatem arrogabant, vi cujus tum privatim tum publice, lingua & calamo Anglicanam Ecclesiam, ejusque Constitutiones veluti in multis depravatas emendari petebant: econtra Episcopales,

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Larrey hist. d'Angl. t. 2. p. 23. & seq. Guiel. Nicoll. Def. Eccles. Angl. Apparat. p. 15. Jacob. Peircius Vind. Fratrum Dissid. p. 24.

Sæc. XVII. qui suo apte ingenio alios super alios ar-
A.C. 1601. tículos comminifcebantur, Puritanos
 etiam Senatus authoritate gravique cen-
 fura compellebant, ut fele ritibus Ec-
 clefiæ Anglicanæ conformarent, nec
 non Epifcopali imperio fe fubjicerent,
 novisque articulis fubfcriberent: cum
 vero ipsis Diffidentes pari animofitate
 obfifterent, hinc magis magisque inde
 exacerbati indomitis impotentibusque
 furiis in eos tumultuabantur, minitan-
 tes, quod, etfi myriades animarum
 perirent, nunquam tamen a fuis con-
 fuetudinibus recedere vellent, in id
 unum intenti, ut calumniis, injuftis-
 que confufionibus, atque odiofis repræ-
 fentationibus Presbyterianos Regine
 infenos redderent. Ex altera vero parte
 Diffidentes fub obtentu conscientie ac
 Zeli pro cauffa Dei carnalibus turbis, &
 furiofis debacchationibus contra Hie-
 rarchicorum normam effufis nomen Di-
 vinum profanabant. Hic erat corrup-
 tifsimus Ecclefie Anglicanæ ftatus, qui
 in hodiernum ufque diem perdurat.

§. LVII.

*Puritani Hierarchicis infenfi.**Nichols. l. c.*

Interim Puritani, ut Hierarchicos op-
 primerent, nullam prætermittabant
 occafionem, præcipue in Scotia, ubi
 Jaco-

Jacobum VI. Stuartum Regem, qui Sæc. XVII.
 sub Cnoxii & Buchanani disciplina a A. C. 1601.
 doleerat, sibi admodum faventem au-
 tumabant, mox decretis ad eum Ora-
 toribus ipsius patrociniū implorantes.
 Blandis ejusdem verbis erecti classes
 suas aliquamdiu sopitas resuscitant, ce-
 teramque disciplinam ab Hierarchicis
 contractam dissipatamque redintegrare
 conantur, vestem, quam *Albam* vocant,
 exuunt, liturgiam abjiciunt, omnesque
 demum Ecclesiæ ritus iterum conte-
 runt & proculcant, datisque literis a-
 pud Regem instant, ut crux Baptis-
 malis aboleretur, Musica Sacra, dies
 festi, annulus matrimonialis, absolu-
 tio, aliæque ceremoniæ abrogarentur,
 sparsis atrocibus contra Liturgiam &
 Ecclesiasticum Regimen convitiis. Ad
 hæc Rex, qui aversionem suam in Pu-
 ritanos caute adhuc dissimulabat, fa-
 cile indulgit, ut res hæ inter ambas par-
 tes controversæ disputatione publica
 quamprimum excuterentur. Hanc
 in rem colloquium ad Hamptoniam Au-
 lam Regiam fuit indictum, quod etiam
 anno Christi millesimo sexcentesimo
 quarto celebratum est.

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

§. LVIII.

*Controversia quædam domestica inter
Lutheranos Doctores.*

Leon. Hut-
terus in Con-
cord. CLII.
p. 354. &
ep. Mar-
bach. p. 765.

Non minus vehemens erat inter Lu-
theranæ Sectæ Literatos conce-
tatio Helmstädiensis, cui occasione
præbebat Daniel Hofmannus ibidem
Theologiæ Professor. Hic Christum
ubique præsentem esse pernegans, ac
Concordiæ formulam admittere detre-
ctans, novam factionem inter Lutheri
asseclas procudit, simulque Lipsienses
Jenenses & Wittembergenses Pastores,
atque inter eos præcipue Hunnium
circa prædestinationis articulos non se-
ne aculeo impugnabat, eisdem expo-
nens, quod longe magis periculosos
errores ex Lutheri cathedra divulgas-
sent, quam olim in Papismi tenebris
exstiterint, necnon in eorum scriptis
plusquam centum crassissimi errores
Christianæ fidei recta oppositi reperi-
rentur: His irritati Doctores eundem
velut hæreticum vitandum declarantes,
intentata anathematis pœna ad suas
partes nequicquam trahere nitebantur:
Paulopost Hofmannus Anno Domini
millesimo quingentesimo nonagesimo
oçtavo disputationem *de Deo & Christo*
habebat, inter alias theses exponens,
quod

quod Philosophia sit *deprædatrix hæresis*, *Theologiæ hostis*, *opus carnis* & *Pe-*
lagianismi rea, necnon *Theologiæ oppido*
contraria & *omnium hæresum genitrix*. Ad
 hæc Helmstadienses non modo Philo-
 sophicam Facultatem, sed etiam ipsum
 Principem, hujus Academiæ Patro-
 num graviter esse offensum declamant,
 nullaque mora Guelpherbytanum Du-
 cem questum adeunt, supplices, ut
 Hofmannum ad moderandum thesisi suæ
 sensum urgeret. Annuit Dux eorum
 precibus, quantocius quosdam ad il-
 lum ablegans, quibus tamen Hofman-
 nus arrogantius respondit, *se, quod tra-*
didisset, non modo de abusu, sed etiam de
vero, veriore, & verissimo usu Philoso-
phiæ intellectum velle, omnemque Philoso-
phiæ, etiam quando se in officio suo con-
tinet, in recto usu contrariam esse Theo-
logiæ. Nec hoc responso contentus
 Philosophos variorum errorum imo &
 hæresum postulabat. His irritati Do-
 ctiores Caselium, qui apud Principem
 gratia plurimum valebat, instigant, ut
 sua auctoritate rem eo deduceret, qua-
 tenus Hofmannus ad *cantandam palino-*
diam Senatus edicto compelleretur.

§. LIX.

Hæc controversia per publicam The-
sium revocationem sopita.

Tara

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

*Henric.
Strob. ep.
ad Meisner.*

Tam importuni erant horum Doct-
rum motus, ut adversus eorum
violentias, uti scribit Henricus Juliu
Strobios, Hofmanni cineres vindictam
adhuc postulent: cessit tandem Prin-
ceps eorum votis, ac ipse Hofmannus
retractationis, quæ ipsi exhibebatur
formulæ sese submittere, illamque suo
chirographo munire, hoc anno die de-
cima nona Martii coactus est. Erat
autem hujus palinodiæ tenor sequens.
*Cum præteritis annis ex præfatione illa
quam sine consensu Reverendissimi, & Il-
lustrissimi Principis ac Domini Domini Hen-
rici Julii &c. Domini mei Clementissimi
Thesibus meis de Deo præmiseram, in qua
nonnulla verba satis dura posita erant, con-
troversia inter facultatem Philosophicam in-
clytæ Academicæ Julicæ & me orta esset,
jam vero illa per decretum Reverendissimi
& Illustrissimi Principis mei Clementissimi
æquum, atque actis consentaneum decima
sexta Februarii hujus anni publicatum com-
posita sit, mihiq; injunctum, ut errorem
illum meum, quo nimium perstrinxi Philo-
sophiam, agnoscerem, & prædicta omnia
me de abusu Philosophicæ, quatenus imperium
in Theologiam affectat, intellexisse declara-
rem, atque ut utilitatem & præstantiam
Philosophicæ juventuti, ne ab illa per hæc,
in quibus modum excessi, deterreatur, pu-
blico scripto ostenderem, æquum & pium
erit,*

erit, ut Principis Optimi mandatis ob- Sæc. XVII.
 temperem. Ego igitur ductus exemplo A. C. 1601.
 Divi Augustini, & sancti illius viri Lu-
 theri, & recordatus Dei Optimi Maximi,
 ejusque mandati, quo jubetur in licitis, ne-
 que conscientiae repugnantibus Magistra-
 tum præceptis obedire, agnosco illum er-
 rorem meum, atque animum sic declaro;
 verum, veriore, verissimum usum Phi-
 losophiae, & illam Philosophiam, quæ in
 suo se officio continet, & intra terminos
 manet, nullo modo, sed eam tantum, quæ
 abusu affectat imperium in Theologiam,
 & se commiscet cum doctrina Ecclesiae in
 iis, quæ sunt Spiritus, damnandam, re-
 jiciendam, explodendam esse, & illos æ-
 que Philosophos juxta Tertullianum Pa-
 triarchas hæreticorum esse dico, & cum
 Chemnitio sentio, qui Ecclesiae puritatem
 doctrina sua commacularunt, de aliis vero
 non item.

Extorta hæc revocatio nullatenus
 Hofmanni sententiam immutabat, uti
 manifestum reddidit in quodam suo
 cantico, ubi inter alia sic habet: Intra-
 vit in Ecclesiam fera terribilis sapientia
 carnis, omnia subdole devastans. Pseudo-
 Prophetæ multi sunt atque hæretici, odio
 habentes amabilem veritatem tuam. Glo-
 riantur, se Ministros esse Verbi tui, quod
 more gentium, quas odisti, enarrant. Sed
 non est communio carnalis Philosophiæ
 cum

Sæc. XVII. cum humillimo testimonio tuo &c. Te
 A. C. 1602. nuit inutile hoc bellum literarium per
 aliquot annos, Hofmannus autem in
 Amelungsbornense monasterium de-
 trusus est.

§. LX.

*Ostendana obsidio magna contentione
 utrinque protracta.*

Gallutius de
Bello Belg.
l. 14.
Tuan. hist.
tom. 3. l. 127.

Ineunte anno Salutis nostræ millesimo
 sexcentesimo secundo Albertus Ar-
 chidux revocatæ deditiois injuriam ul-
 turus Ostendanam obsidionem totis vi-
 ribus urgere statuit, habitoque belli
 Senatu, cum varia in consilia Bellidæ
 cum mentes dividerentur, ipse validam
 irruptionem fieri decernit, eo quod cre-
 bris Bombardarum explosionibus in
 propugnaculo, quod vergit ad mare,
 amplum hiatum, murique ruinam fe-
 cisset. Ergo die septima Januarii fa-
 ventibus noctis tenebris magno impetu
 Catholici admotis scalis irruere cer-
 tant: attamen obsessis summa vi atque
 ardore resistentibus non sine gravi suo-
 rum jactura retrocedere coguntur. Nec
 tamen sinistro hoc successu fractus Ar-
 chidux, munitiones restaurare novas-
 que exstruere haud destitit, unice eo
 intentus, ut commeatus advehendi op-
 portunitatem obsessis intercluderet, elusa
 tamen

tamen hac solertia undecim dierum spatio plusquam centum naves intra oppidum receptæ sunt, recenti milite, ac copioso belli apparatu instructæ, quibus suppetiis freti Oppidani ad sustinendos obsidionis labores obfirmatum præferebant animum, quamvis haud parum eorum decreveret numerus; quamplurimos enim ingens morborum vis absumperat, alios vero non paucos partim calamitatum pertinacia, partim melioris conditionis spes ad transfugium pellexerat; quippe Albertus crebris per sagittas in oppidum immissis literis præclara prorsus præmia transfugientibus pollicebatur.

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

§. LXI.

Mauritii expeditio in Brabantiam.

Mauritius Protestantium Bellidux, cum Archiducem ab Ostendanzæ obsidionis proposito nullo pacto abduci posse animadverteret, copiis tam ex Anglia quam Germania contractis Brabantiam vel Flandriam invadere constituit. Itaque lustrato ad Cliviam exercitu cum viginti duobus Peditum milibus, & Equitibus quinquies mille in Brabantiam contendit, occupatis ibidem, quotquot posset, oppidis, in Flandriam postea profecturus, ut periclitanti

Grotius
Hist. l. II.
Mercur.
Belgi. ad
ann. 1602.

Sæc. XVII. tanti Ostendæ subsidium afferret. Con-
A. C. 1602. perto hoc Mauritiï consilio Albertus
 nulla mora Mendozæ Arragonensi Archithalasso præcipit, ut hosti Mosam mo-
 transituro sese opponeret, ac cum suis
 copiis itinere Tilæmontem versus facti
 Friderici Spinulæ, qui ex Italia cum
 octies mille & quadringentis Namur
 cum venerat, sese conjungeret. Al-
 jussa igitur in campo dimidia leuca The-
 nis remoto castra metantur Catholici
 hostis adventum præstolaturi: attamen
 Mauritius mutato consilio ad Sancti
 Trudonis Oppidum trium horarum spe-
 tio Thenis distitum castra ponit, inde
 vero Archithalassum per facialem ad
 prælium provocat, qui respondit, „in-
 „sum se regioni huic præsidio esse, non
 „prælio decertare: proin si castra sua
 „oppugnatum veniret, prælii copiam
 „fore,“ hoc responso territus Mauri-
 tius, cum hostem expectatione sua va-
 lidiorem cerneret, vim repellere tutius
 fore, quam inferre censebat, quocirca
 die octavo Julii flumine tribus pontibus
 juncto instructam aciem toto die tenuit
 atque aliquot diebus nulla re gesta con-
 sumptis exercitum reduxit.

§. LXII.

Gravia a Mauritio deditioe capta

Aliquamdiu Mauritius, ut hostem fal-
 leret, & aliorum distraheret, va-
 rias simulabat obsidiones, tandem ve-
 ro occupata Helmondana arce, propug-
 naculum. quod *perditi sumptus* nomen ha-
 bet, cis Mosam nullo ferme negotio ce-
 pit, & die vigesima Julii prope Graviam
 castra posuit. Præerat oppido Antonius
 Gonzalius Avila Hispanus bellicæ artis
 expertissimus. Præfidiariis utebatur non-
 nisi mille quingentis, quos tamen au-
 ctum iri sperabat ab Archiducis copiis
 non ita longe intervallo remotis: nec
 sua eum fefellit opinio; Albertus enim
 accepto obsidendæ urbis nuntio confe-
 ssim Mendozæ præcepit, ut cum suo
 exercitu quantocius obsessis auxilium
 ferret: Is vero, cum pro fabricando
 ponte, parandisque aliis necessariis diu-
 tius in Ducatu Cliviensi substitisset, ac
 nonnisi decima Augusti die haud pro-
 cul a Mauritiæ munitionibus castra po-
 suisset, tum primum intellexit, quod
 serius quam oportebat, subsidia adve-
 xerit, eo quod hostis hac mora oppor-
 tune usus validissimis suis vallibus om-
 nem urbis accessum interclusisset. Præ-
 terea Joannes Thomas Spina, qui per-
 ruptis juxta Ravensteinium munitioni-
 bus auxiliares copias in oppidum im-
 mittere tentabat, pluviis, noctisque
 tenebris præpeditus, re infecta reverti

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

Carnerus
 lib. 15. c. 5.
 Bentivol. l. 7.

Hist. Eccles. Tom. LIII. L co-

Sæc. XVII. cogebatur. Igitur Mendoza immittendi
A. C. 1602. subsidii spe dejectus castra movere con-
stituit, præmissisque impedimentis clam
noctis beneficio incolumem reduxit exer-
citum, omni spe solvendæ obsidionis
destitutus. Nec tamen propterea ob-
fessos animus constantiaque deseruit,
quippe frequentes validasque faciebant
in hostem irruptiones, æquato tamen
utrinque decore ac dispendio: tandem
vero obsessorum numero valde diminue-
to, cunctisque propugnaculis præter
unicam loricam everfis ad extremum
se ultro dedere constituunt, ac die de-
cima nona Septembris arce, & biduo
post ipso oppido excedunt. Pacta au-
tem deditiois hæc erant: I. Omnium
ante actorem oblivio sit. II. Præstito
fidei Sacramento Mauritius omnes tam
Clericos quam Laicos in tutelam se-
scipiat, cunctisque civibus sua privi-
legia sarta tueatur. III. Omnibus Ca-
tholicam Religionem profitendi libertas
asseratur, assignato eisdem uno Tem-
plo IV. Religiosis in suis Monasteriis
permanere, suisque bonis frui integrum
sit, qui vero emigrare voluerint, id eis
intra proximum triennium liceat. V.
Præsidariis non arma tantum & ve-
xilla, sed omnia etiam sua efferre om-
nibus permittatur.

§. LXIII.

Sæc. XVII.
A.C. 1602.

Seditiosorum militum tumultus.

Soluta obsidione Mendoza ad Thor-
num, quod oppidum est Trajectum
inter & Ruremundam situm, cum suo
exercitu substitit, ubi eidem nuncia-
tum, quod ex Catholicis militibus fer-
me sexcenti Equites, peditesque simul
ab Archiducis castris ad Hamonti sub-
urbia auffugerint, ibique conflata se-
ditione tumultuantur, harum turba-
rum causam prætexentes, quod castren-
sium Quæstorum iniquitate stipendia
sibi fide minus integra persolverentur:
Nulla igitur mora Franciscus Mendoza,
antequam impunitate cresceret nume-
rus, & tumultuantium audacia, quos-
dam Tribunos ad seditiosos ablegat, qui
resipiscentibus perfidiæ veniam offer-
rent, vel contumacibus poenarum se-
veritatem minarentur. His vero sur-
das aures pulsantibus Mendoza Dux
admotis quatuor belli tormentis plures
eorum domos incendio absumit, unde
pedites hoc terrore perculsi in Ducis
obsequium ultra rediere: Equites au-
tem suorum numero, promptaque effu-
giendi occasione freti Belgiosium Co-
mitem, qui eos ad resipiscentiam hor-
tabatur, audire dedignantur, ac despe-

Grotius
lib. II.
Harræus ad
ann. 1602.
Mercur.
Gallobelg.
lib. 7.

Sæc. XVII. ratione audaciam acuate arcem Hochstratanam ipso Vallone illius Præfecto ad eos deficiente occupant; postquam vero tantus inquietorum concursus ad hanc arcem tanquam perfidiae asyllum fieret, ut jam peditum duo millia, Equitesque mille recenserent, Archiducum ipse ad plectendos rebelles cum valida suarum manu accurrit: Hi, cum proditionis pœnam pertimescerent, armavitum bellicæ tormenta a Mauritio exorant, qui etiam iis non modo militaris, sed pene Catholicæ fidei transiugis ex Bredano oppido cuncta necessaria transmisit: Non multo post Archiduci nuntiatum, Graviam deditione a Foederatis captam esse, quocirca verè cœperat, ne hi exinde animosiores facti, cum ipsum componendis suorum tumultibus distantem cernerent, circum vicinia loca occupare tentarent, hinc Venlonam imposito præsidio munire statuit. Interea impuniti sceleris fiducia tantopere seditiosorum temeritatem auxerat, ut duas Catholicorum Equitum turmas, ipsorum Præfecto graviter vulnerato, adorsi in suas partes vi traherent, Judoniæ oppidum invaderent, Præfectisque male habitis milites secum abducerent. Nec hic stetit rebellium insolentia; quippe quamplurimis secessionis hujus felicitate allectis, at-

que e Catholico exercitu deficientibus, Sæc. XVII.
 ipsi frequenter per agros & villas ex- A. C. 1602. —
 currunt, in rusticos barbare sæviunt,
 populantur domos, rura vastant, cun-
 ctæque sus deque vertunt, dein Leo-
 diensibus literas pugione perforatas ac
 quatuor angulis igne combustas mittunt,
 minantes, ferro se & igne eos profecutu-
 ros, ni continuo pulverem pyrium, ar-
 ma & pecunias suppeditarent. Eadem
 petulantia ex aliis Regionibus ingentes
 pecuniarum summas corrasere. Igitur
 Albertus acrius remedium malo adhi-
 bendum ratus, edicto promulgato præ-
 cepit, ut quisque sua repetat signa, id
 qui faxint, commissi sceleris impunita-
 tem consequerentur, contumaces vero
 pro perduellionibus habendi forent,
 proscriptis cunctis eorum bonis: attam-
 en severitate hujus edicti magis ad-
 huc exacerbati Rebelles ad Protestan-
 tum patrociniū sese recipiunt: nec
 profuere efficacissimæ hortationes Octa-
 vii Francipani Pontificii in Belgio
 Nuntii, quem seditiosi quidem Hoh-
 stratæ haud vulgaribus honorum signifi-
 cationibus exceperunt, ubi tamen de
 rei summa actum, præprimis edictum
 revocari petentes, insuper tot tantas-
 que objectarunt difficultates, ut is re
 infecta discedere cogeretur. Progressu
 temporis tantopere horum rebellium

Sæc. XVII. vires per Fœderatos suffultæ excreverant, ut nonnisi durissimis conditionibus graviorum tumultuum vexa anno sequenti redimi potuerit.

§. LXIV.

Hispana Classis ab Anglis dissipata.

Thuan.
lib. 127.

Rapin hist.

d'Angl. l. 17.

Galut. l. 14.

Grotius hist.

lib. 11.

Haud secundiore fortuna utebatur Regis Hispaniæ classis ductore Fridrico Spinola, qui Philippo III. auctor erat, ut suam classem novis octo triremibus, quæ nongentis Bellatoribus & remigibus mille quingentis instructæ essent augetet: Annuente Rege Fridericus Hispali solvit, Flandriam petiturus, quo comperto Angliæ Regina tres naves sub littus Britannicum & fretum Minorum Ductore Richardo Leveson collocat, quibus Batavi suarum quatuor addidere. In has, cum Spinola in Lusitano littore incideret, resque ad prælii necessitatem deveniret, Richardus ex Indica navigatione reversus duas triremes depressit. Spinola vero cum reliquis sex Ulyssiponem appulsus, cum in Flandriam tenderet, die tertia Octobris in freto Britannico duas Batavorum naves obvias habuit, eas abs dubio demersurus, nisi Robertus Mansfeldius Angliæ Archithalassius juxta Caretum disiploso tormento ceteris Batavorum

tavorum navibus ex Prætoria signum Sæc. XVII. A. C. 1602.
 dedisset, quæ mox nebuloso simul & si-
 lente cælo littus Anglicum legentes
 confestim advolant, ac tum a litto-
 re, tum e freto insequentes non procul Gra-
 vellinga post pertinax ac diuturnum cer-
 tamen duas Spinolæ triremes tormen-
 torum ictibus lacerant, & bis terve in-
 vectæ suarum navium mole eas disrum-
 punt, militum cæsis quamplurimis,
 ceterisque captis. Aliæ duæ in Flan-
 dricas fyrtes impactæ Neoportum atti-
 gere. Una præterea ad Caletum nau-
 fragio interiit, Remigum incititia. Po-
 strema denique, qua Spinola veheba-
 tur mari Zelandico vagata, non sine
 periculo Dunckerkam tenuit. Tres
 hæc triremes, cum Fridericus ceteris
 navigiis, quæ in Clausæ portu antea
 habebat, junxisset, in Valacrinam Ze-
 landiæ Insulam populabundus exscen-
 dere statuit, suborta tamen tempestate
 præpeditus.

§. LXV.

*Prælia Historica ad solemnes di-
 sputationes coram Clemente
 VIII. habitas.*

Cum Clemens VIII. serio perpende-
 ret, quod censuræ toties contra Livin. Meier hist. Controv. vindicat. l. 3. c. 12.
 Molinæ doctrinam pronuntiatae jam
 L 4 quarto

Sæc. XVII. quarto examine ab omnibus (exceptis
 A. C. 1602. paucis) Romanis Consultoribus fuerint
 confirmatæ, ac S. Augustinum Molinæ
 contraria sentire pluribus persuasum
 esse perciperet, ex aduerso autem non
 pauca Universitates, præcipue in Ger-
 mania, Molinæ systema mirifice com-
 mendarent, hinc decrevit, rem totam
 per seipsum experiri, auditis utriusque
 partis Theologis, qui in publicam di-
 sputationis arenam descenderent, se-
 ipso non solum spectatore, sed universi
 certaminis arbitro. Percepto hoc Pa-
 pæ proposito Patres Societatis, ut Cle-
 mentis animum suæ causæ meritis pro-
 pitium redderent, eidem auctore Patre
 Gregorio de Valentia in supplici libello
 exponebant, quod res nuper in quæ-
 stionem vocatæ dubiæ & inter Theolo-
 gos controversæ forent, proin non con-
 grueret, ut præsens controversia defi-
 niretur, sed potius necessarium foret
 ut ea, quæ Molina in suo libro verbis
 in reprobum sensum facile detorquen-
 dis expressisset, in nova editione casti-
 garentur. Insuper Pater Ferdinandus
 de Bastida nomine Societatis in alio
 libello supplici sparsos in Jesuitas ru-
 mores detergere nitebatur. Erant au-
 tem hi potissimum I. Jesuitæ immode-
 ratam in vindicando Molina pertinaciam exhibent II. nunquam vindicato
 honore

*Idem l. 5.
 cap. 1.
 Hist. Con-
 greg. l. 3.
 c. 2. & l. 5.
 sect. 6. c. 1.*

honore satiati semper novas ingerunt Sæc. XVII. A.C. 1602.
 petitiones III. tam pertinaces sunt, ut se haud errare posse judicent. IV. Non
 acquiescunt iudicio Censorum V. negotii exitum moris ac subterfugiis impediunt. VI. Ne Societati labes unius Authoris damnatione inuratur, æternos concitant tumultus. VII. Nec a communi Sanctorum Patrum præsertim S. Augustini sententia recedere reformidant. Hæc objecta refellere intentus Bastida P. livin. l. 4. c. 32. p. 322.
 demum rogabat, ut Pontifex novam causæ cognitionem institueret, in qua S. Augustini sententia de controversis opinionibus publica disputatione expendere, eo quod non pauci multis rationibus demonstrassent, nimia severitate Censores æquitatis limites in censendo prætervectos, dum eas assertiones non modo falsitatis sed & erroris in fide notassent, quæ tamen inter doctores Catholicos hætenus magis usitatæ fuissent.

§. LXVI.

Clementis VIII. propositum de Molinae doctrina novo examini subjicienda.

Ne ergo Jesuitæ, antequam audirentur, se damnatos quererentur, Iidem Authores. ex Diario Pægnæ & actis Coronel.
 summus Pontifex indictis prius publicis precibus

Sæc. XVII. A. C. 1602. precibus hoc anno die trigesima prima Januarii utriusque Ordinis supremi Moderatori instituendæ publicæ disputationis, ac finiendæ litis propositæ manifestabat, hancque in rem ipsi Cardinales, quorum toto quinti hujus examinis progressu omnino quindecim intererant, secum arbitros federe novosque quatuor Censores prioribus addere voluit, ne, ut olim Cognitorum paucitas prætexi posset, cæteros veteres Censores, qui jam ab anno 1597. in hoc negotio adlaborabant, confirmaret Pontifex. Nominabantur etiam quatuor Molinæ defensores scilicet PP. Valentia, Arrubal, Bastida & Joannes de Salas: ex Dominicanis duntaxat Alvarezio, & Lemosio contra Molinam actoris. Porro die decima quarta Februarii Pontifex per cubiculi sui Præfectum ad designatos hosce Censores Ordinisque Generales primæ disputationis argumentum trans mittebat, bina hac propositione comprehensum.

- I. *Quis majores vires ad bonum liberi arbitrio tribuat, an S. Augustinus, an Molina?*
- II. *An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse a Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum*

totum quod in se est, Deus illi tri-
 buat gratiam: vel id sit de mente S.
 Augustini?

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

§. LXVII.

*Epistolæ Hispani Regis ad suum
 Oratorem.*

His ita præmissis Sessæ Dux Hispanus apud Pontificem Orator die vigesima Februarii Philippum III. Regem de suscepto Clementis VIII. proposito certiore redderat, transmissis etiam præfatis duabus quæstionibus, quas Papa pro futura Congregatione Theologis & Censoribus tradiderat: quocirca Rex Catholicus Vallisoleti die quinto Aprilis hoc anno datis ad hunc Oratorem literis significabat, quod quidem hoc Pontificis consilium omnino ratum haberet, summopere tamen desideraret, ut Sanctitas sua auctore Spiritu Sancto citius decerneret, quid in controversia de Divina Gratia tenendum, credendumve sit, ne diuturniori dissidio Universitates, & Religiosi Ordines committantur; cum enim paulo ante non modo quidam Complutensis Academiæ Doctores, sed etiam Pater Melchior Ornate Jesuita, Præsidente Patre Ludovico Turriano ex eadem Societate Compluti publice ibidem inter ceteras Theses hanc

*Hist. Con-
 greg. l. 3.
 cap. I.
 Ex relat.
 Pegnæ ad
 General.
 Inquis.
 Abrege de
 l'Hist. de
 auxiliis.*

Sæc. XVII. hanc propugnasset: *non est de fide*
 A. C. 1602. *hominem esse summum Pontificem.* Nuntio

Apostolicus exin vehementer comovebatur, qui apud Regem ejusque Senatū vehementer de Jesuitis questus impetrabat, ut PP. Melchior & Turrianus unacum PP. Almasano Collegii Rector & Gabriele Vasquesio Theologiæ Professore die vigesima tertia Aprilis Regi Senatus jussu in custodiam Inquisitionis darentur, quamvis non multo post Pater Rector & Vasquesius causam veriusque probe cognita die decima septima Junii omnis criminis suspicione liberati dimitterentur, aliis duobus in publico carcere in Professam Societatis domum migrare permissis. Interim in Hispaniam delatæ fuerunt Clementis VIII. literæ, quibus rei hujus discutiendæ cura Apostolico Nuntio commissa, ac præfatæ Thesis Propugnatores Romam citati fuere. Id vero Inquisitor Generalis ægerrime ferens, Regi supplicabat, quatenus transmissa Pontificis mandata rescindi, hancque causam intra Regni fines ab ipsa Inquisitione dijudicari postularet. Annuit Rex, ac die octava Maji ex Aranguies castro ad Sessæ Ducem Oratorem suum literas dabat, quibus injunctum, ut a Sanctitate sua impetraret, quatenus negotium istud vel cum ipso Rege, vel

P. Livin.

Hist. l. 4.

n. 36. p. 335.

saltem cum suo Oratore communicare, Sæc. XVII.
 hujusque causæ cognitionem Hispano A. C. 1602.
 Sacræ Inquisitionis Officio committere
 vellet, eo quod hæc litis evocatio ad
 Romanam Curiam Apostolicæ Sedis aucto-
 ritati nocumento foret, ipsisque hæreticis
 insufurrandi ansam præberet, in Hispaniæ
 Regno ac in probatissima Complutensi Aca-
 demia in disputationem vocari Christi Vi-
 carii auctoritatem, ipsa etiam Inquisitione
 dissimulante. Nihilominus promi-
 serat Rex, quod hunc in finem illum
 delecturus sit Censorem, quem ad San-
 ctitatis suæ Beneplacitum Orator nomi-
 naret. Ad hæc literas Orator Hispanus
 die vigesima quinta Maji respondit,
 quod jamjam Franciscus Pegna Rotæ
 Romanæ Decanus Regiæ petitionis
 æquitatem die trigesima prima Maji
 summo Pontifici adductis plurimis iis-
 que validissimis rationibus exposuerit,
 a sua tamen Sanctitate hoc responsum
 tulerit, quod attendita Hispaniæ Inqui-
 sitionis oscitantia reos Romam advo-
 casset, summopere ingemiscens, quod
 indies periculosæ disseminarentur opi-
 niones, & quidam e Societate nuper-
 rime Florentiis prædicare præsumpse-
 rit, Confessionem Sacramentalem per
 literas edi posse: de cetero noxiæ The-
 sis propugnatores ea potissimum ratio-
 ne Romam venire jussisset, ut coram
 Inqui-

Sæc. XVII. Inquisitore Generali explorare possi-
 A. C. 1602. num ea Thesium expositio negotiis Ro-
 mæ agitatis affinis foret; cum enim
 Concilii Generalis convocationem pro-
 definienda hac controversia omnino ne-
 cessariam esse ubique divulgarent, ma-
 rito suspicaretur Pontifex, hujusmo-
 thesibus viam parari, ut Apostolice
 Definitio a sua Majestate tam ardente
 efflagitata eluderetur. Denique postre-
 mo colloquio die octava Junii habito
 summus Pontifex concessit, ut delin-
 quentes in Hispania Inquisitionis judi-
 cium subirent, ea tamen lege, ut San-
 ctitati suæ rescriberentur, quæcunque
 hac in caussa acta fuissent. Priusquam
 vero hoc Scriptum in Hispaniam dele-
 tum fuisset, Generalis Inquisitor, ut
 memoravimus, Jesuitas carcere deten-
 tos libertate donabat. Nihilominus
 Romana Curia die vigesima Julii clausit
 hæc Propositiones. I. *Non est de fide
 hunc numero Papam esse verum Papam.*
 II. *Major pars Patrum in Concilio adhibita
 ante confirmationem summi Pontificis, est
 infallibilis veritatis, velut erroneas, schis-
 maticas, & scandalosas proscripsit.*
 Tertio post die selecti Romanæ Curie
 Theologi varias Complutensis Acade-
 miæ Theses ab Apostolico Nuntio Ro-
 mam transmissas examinabant, atque
 inter eas præcipue sequentes censuris per-

perfringebant. I. *Revelatio Mysteriorum fidei facta Ecclesiae non est necessarium* A. C. 1602.

medium, ut certo & infallibiliter cognoscantur, sed prudentialis notitia sufficit.

II. *Successio Petri Apostoli in Episcopatu Romano, jure Divino non constat, etsi probatissimum sit, Christum præcepisse Petro, eam fieri.*

§. LXVIII.

Prima Congregatio coram Clemente VIII. habita.

Die decima nona Martii summus Pontifex utriusque Ordinis Generales unacum Theologis disceptaturis postridie in Vaticano Palatio adesse iussit. Præsidebat ipse Clemens VIII. assistentibus Purpuratis, Episcopis, Censoribus, ac Doctorum quamplurimis. In ipso aditu summus Pontifex oratione habita

Livin. Maier t. I. hist. Controv. l. 5. cap. 2. Serii hist. Congreg. l. 3. c. 2. 9. l. 5. ser. 5. cap. 1.

ita exorsus est. *Hæc, quæ inter vos tamdiu agitata est Controversia, ita pertinacibus concertationibus, in multorum aures, & animos per universam Europam se insinuavit, & tam ingentes turbas in multis Academiis excitavit, ut maximum Reipublicæ Christianæ periculum minitari videatur; nisi vel ad pacem mutuam vos ipsi deducamini, vel salutare remedium nos huic negotio adhibeamus. Etenim novis istis vestris opinionibus, vel veteribus quidem,*

Sæc. XVII. quidem, sed sepultis jam post mille duos
A. C. 1602. tos annos, & ab Ecclesia profligatis,

Catholicorum animos rursus imbuere
duistis, ut proculdubio videamini paci
scindere, & inconsutilem Domini tunica
dividere. Quid enim aliud est, vel pro
sus repudiatis, vel saltem posthabitis ut
stissimis illis, & Sanctissimis viris, Hiero
ronymo, Ambrosio, Augustino, Prospero
& aliis, qui nullis vigiliis, aut labori
percerunt, adversus Pelagianos constanti
me dimicarunt, eorum artes dissuerunt, ve
nenum detexerunt, falsos sensus aperuerunt
& argumentationes omnes dissolverunt
quid, inquam, aliud est, posthabitis
sanctissimis, & doctissimis Patribus, re
tioribus quibusdam, vel nullius vel cer
exigui nominis Doctoribus, tanquam Do
cibus, ad istas vestras opiniones defenden
das uti: quam Ecclesiam Dei Pelagianorum
erroribus denuo inficere & contaminare.
quid est hoc, quod molimini? an non dubi
tatis pro defensione unius Molinæ invehere
in Ecclesiam Dei Pelagii dogma? perpe
dite, obsecro vos, quam grave periculum
a vestris istis concertationibus universo Chri
stiano orbi impendat. Nolite communem
necessitati & saluti privatas vestras rationes
præferre. Cedite Patribus, cedite veritati.
Et hoc vos lubentibus animis facturos spe
rans, e re præsentis fore duxi, universam
istam controversiam ad aliquot capita et
articu-

articulos reducere, ex quorum discussione Sæc. XVII.
 veritas Catholicæ Doctrinæ facile apparere A. C. 1602.
 possit. Horum duos, de quibus hodierna
 die differetis, vobis proposui, in qua disputa-
 tione mementote, omnes vos Ecclesiæ unius
 filios esse, per Sponsum ejus Christum. Je-
 sum rogo vos, ut omni odio deposito, dis-
 fidiusque propriis semotis, ita inquirendæ,
 & indagandæ veritati operam navetis, ut
 a vero sensu Scripturarum, & a defæcata
 S. Augustini doctrina, quam & Ecclesiæ
 doctrinam esse nemo vestrum ignorat, nul-
 lis invidiæ, & livoris facibus impediamini.

Verum hanc orationem ab Auctore
 Historiæ Congregationum confictam esse
 asserit Pater Livinius de Meyer Jesuita,
 ea motus ratione, quod Pontifex ante
 veritatis inquisitionem Molinæ doctri-
 nam Pelagianæ affinem asseruisse in-
 ducatur.

§. LXIX.

Primæ Congregationis progressus.

Finita hac oratione Clemens VIII. fu- Hist. Con-
 lis ad Deum precibus de primo ar- trouv. l. 5.
 ticulo, scilicet, an S. Augustinus vel cap. 3.
 Molina majores libero arbitrio vires Hist. Con-
 tribuat, differere, Gregorium de Va- greg. l. 3.
 lentia Jesuitam jussit, qui palam decla- cap. 10.
 rabat, quod nequaquam Molinæ doctri-
 nam velut per omnia certo veram aut com-
Hist. Eccles. Tom. LIII. M mu-

Sæc. XVII. *muniter in Societate probatam, sed duntaxat a S. Augustini dogmate non abhorrentem, defendere intendat.* Postea adductis præfati S. Doctoris testimoniis comprobare nitebatur, quod nihil eorum, quæ Molina tribuit libero arbitrio, negaverit S. Augustinus, & quicquid hic eidem denegavit, Molina quoque negarit: cum vero Molina in disputatione octava & seqq. liberum arbitrium aliqua posse sine auxilio gratiæ disertis verbis propugnasset, Valentia apposite respondit, *illum non de omni prorsus auxilio, sed duntaxat supernaturali fuisse locutum.* Hæc Valentia ubi absolverat, Pontificis jussu P. Didacus Alvarez Ord. Prædicatorum Theologus reposuit, vires longe majores a Molina quam ab Augustino tribui libero arbitrio: hic enim negat initium fidei esse ex nobis, Molina vero affirmat, hominem ex solis viribus naturæ posse assentiri omnibus fidei Mysteriis assensu certo ac firmo tanquam revelatis a Deo. Id vero a Molina dictum negabat Valentia, aut certe de assensu mere probabiliter intelligendum voluit, postquam vero Alvarez ex *Concordia* libro disp. 8. §. *Esse* hæc verba adduxerat: *homo ex suis naturalibus assentiri potest revelatis actu mere naturali,* Valentia id fassus, nullum tamen in eo Pelagianum erroremprehendi contendit.

tendit. Postea Pontifex eidem præ-
 cepit, ut ex S. Augustino demonstraret,
 quod Molina in propositione de actu fi-
 dei ex sola facultate naturæ elicitō non
 majores vires tribuat libero arbitrio ad
 bonum, quam Augustinus tribuisset:
 Jussis paruit Valentia, ea proferens
 loca, in quibus S. Doctor fidem in dæ-
 monibus esse propugnabat. Postea Mo-
 linæ sententiam de voluntate humana
 & Deo tanquam duabus causis partia-
 libus in effectum supernaturalem in-
 fluentibus impugnabat, ast supremus
 Societatis Præpositus mox sermonem
 abrumpens, *hoc certe*, inquebat, *quod*
Molina docuit de causis partialibus, nul-
lum habet fundamentum, estque impertinen-
ter dictum. Haud credibile videtur Pa-
 tri Livino Jesuitæ, quod Pater Gene-
 ralis palam Molinæ doctrinam impro-
 barit, quam tamen defensusus advene-
 rat. Ut ut res se habuerit, id in com-
 perto est, quod Alvaresius hoc dile-
 mate argumentum suum instaurarit:
 „vel ille influxus voluntatis creatæ in
 „actum liberum est illi a Deo, vel illum
 „habet voluntas a seipsa, si a se, ergo
 „contra D. Augustini doctrinam Molina
 „homini concessit, ut sine influxu gra-
 „tiæ ex solis suis viribus possit elicere
 „actus perfectissimos, si a Deo, ergo
 „contra Molinæ sententiam influxus
 M 2 „iste

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

Sæc. XVII., iste est effectus præoperantis gratiæ in
A. C. 1602., genere caussæ proprie efficientis,
 dum vero Alvaresius, ut propositio
 P. Gregorio concessa a Notariis diligen-
 ter observaretur, impensius instaret,
 suamque argumentationem urgeret, Va-
 lentia reposuit: hæc non pertinere ad
 præsentem speculationem, opportune
 alias de modo efficacitatis divinæ gra-
 tiæ agi posse. Ad hæc indicto silentio
 congressus, qui quatuor horas continuas
 tenuit, solutus est, Prædicatoribus ad
 Jesuitis ad paratum conclave interim
 secedere iussis.

§. LXX.

*Pontificis mandatum de Molinæ pro-
 positionibus cum D. Augustino
 conferendis.*

*Hist. Con-
 greg. l. 3.
 cap. 2.*

*Ex adv. Co-
 ronell. Hist.
 Controv.
 l. 5. c. 4.*

Hiscæ dimissis Pontifex cum Cardina-
 libus, Episcopis atque Consultori-
 bus de agitatæ propositionis veritate
 secreto conferebat, atque ex Censuram
 consilio speciales quasdam propositio-
 nes ex Molinæ libris annotari præci-
 piebat, eo fine, ut in futuris Congre-
 gationibus apertius ostendi posset, an
 S. Augustini doctrinæ adversarentur:
 ne vero inter disputandum quæstio facti
 suboriretur, num integra fide ex præ-
 fato Authore petitæ essent, hinc eas-
 dem

dem ex mutuo Prædicatorum & Jesuitarum assensu a Secretariis selectas hæcæ propositiones cum D. Augustini contextu conferri iussit, addito hoc rescripto: *Patribus Generalibus Ordinis Prædicatorum, & Societatis Jesu, de ordine expresso, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Clementis VIII. jubetur, ut sequentes propositiones Molinæ conferant cum Doctrina Sancti Augustini, & scripto consignent loca omnia ejusdem Sancti Doctoris, ex quibus illas vel impugnari, vel defendi posse putabunt.*

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Seligebant Congregationis Secretarii præprimis septem Molinæ propositiones, in quibus hic contra D. Augustini mentem libero arbitrio plus æquo tribuisse insimulabatur: Aliæ etiam duæ exponebantur propositiones circa secundum propositæ quæstionis articulum. Has omnes die vigesima secunda Martii summo Pontifici exhibent Secretarii, qui easdem ad Patres Societatis perferentes sciscitabantur, *an ex Molinæ libro fuerint fideliter transumptæ, sumus enim, inquiebant, parati ad corrigendum, quidquid erratum fuisse videbitur.* Gregorius de Valentia conjectis in propositiones oculis, cum illas verbotenus omnino in Molinæ libris reperiri statim agnosceret, temporis spatium sibi indulgeri petiit, ut genuinum Molinæ

Sæc. XVII. **A. C. 1602.**

 tibus in aperto ponere valeret, hancque
 in rem sequens Reverendis Secretariis
 scriptum transmisit: *Quoniam Patres
 Secretarii de ordine Sanctissimi Domini No-
 stri nobis novam aliquam rem proposuerunt:
 videlicet, ut propositionibus ante mensem de-
 tis, & conferendis cum doctrina Sancti Au-
 gustini, adderemus quæ nobis placerent, &
 judicaremus spectare ad Molinæ defensionem:
 nos existimantes hoc postulare diligentem in-
 dagationem, & maturam consultationem,
 petimus, ut nobis aliquod temporis spatium
 concedatur. Ad hæc reponerent Secre-
 tarii, non hoc, sed duntaxat ab eis exigi,
 ut in ipsorum præsentia propositiones
 cum Codice Molinæ conferrent, & si
 quod verbum intermissum fuerit, ad-
 deretur. Id se præstiturum altera die,
 promiserat Valentia asserens, multa esse
 addenda, alia etiam omittenda, ut sensus
 Molinæ fieret plenus, huncque in finem
 prælegit scriptum, in quo addenda vel
 detrahenda continebantur. Illud etiam
 exhibetur summo Pontifici, qui tam
 Societatis, quam Prædicatorum Gene-
 ralibus præcepit, ut novem hæc Mo-
 linæ propositiones cum doctrina D. Au-
 gustini conferrent, scriptisque omnia
 ejusdem Doctoris loca consignarent, ex
 quibus illas vel impugnari vel defendi
 posse crederent. Postquam vero Se-
 creta-*

cretarius præfata loca sibi tradi a Gre- Sæc. XVII.
 gtorio Valentia postulare, hic sequen- A. C. 1602.
 tem Epistolam Clementi VIII. consignari
 petiit: *Beatissime Pater: hac in re cum*
magnum habeamus fundamentum dubitandi,
quonam modo velit Sanctitas vestra id a
nobis fieri, propter aliqua, quæ circa hoc no-
bis occurrunt, & quæ putamus Sanctita-
tem vestram benigne audituram, humiliter
supplico Vestræ Sanctitati, ut dignetur
me solita benignitate de hoc audire. San-
ctitatis Vestræ humillimus servus

GREGORIUS
 de Valentia.

Die vigesima octava Aprilis hanc
 Valentia epistolam unacum scripto, in
 quo FF. Prædicatores S. Augustini sen-
 tentias Molinæ oppositas adduxerant,
 receperat Pontifex, qui hæc eidem re-
 scripsit: *Volumus scire, quibus in locis Sancti*
Augustini reperiantur propositiones extractæ
ex libris Molinæ. Nobis autem satis nunc
erit, si citentur libri vel tractatus Sancti
Augustini, & eorum capita; quod enim ex
illis inferre volueritis, postea nobis præsen-
tibus viva voce explicabitis, neque rursus
ad hæc replicetis, sed perficite, quæ præ-
cepimus.

Igitur Valentia Papæ jussis obtem-
 peraturus, vigesima quinta Maij die Di-
 vi Augustini testimonia Molinianis af-

M 4

fertio-

Sæc. XVII. fertionibus propitia eidem offerebat
A. C. 1602. cum autem non ipsa Sancti Doctore
 verba, sed duntaxat libros & capita in-
 digitasset, hinc summo Pontifici immen-
 sus relinquebatur labor, quo ex oblato
 amplissimo indice plusquam trecenta Di-
 vi Augustini loca evolvere ac conferre
 cogebatur. Postea hunc Valentiaë In-
 dicem die octava Junii Consultoribus
 examinandum tradidit, ut hi re matu-
 rius perpensa in proximis Congregatio-
 nibus de Molinæ doctrina judicium
 ferrent.

§. LXXI.

Congregatio Secunda.

*Hist. Con-
 greg. l. 3.
 cap. 10.
 Hist. Con-
 trov. l. 5. c. 5.*

Evolutis a prima Congregatione qua-
 tuor pene Mensibus die octava Julii
 secunda habebatur Congregatio, in qua
 præsentibus iisdem, qui primæ inter-
 erant, summus Pontifex ex novem Mo-
 linæ propositionibus primam cum Divi
 Augustini doctrina conferendam propo-
 suit. Erat autem hæc tenoris sequen-
 tis: *Cum solo concursu generali Dei, abs-
 que alio dono vel auxilio gratiæ, potest ho-
 mo efficere opus bonum morale, quod fini
 naturali hominis accomodatum, atque com-
 paratione illius, sit vere bonum & virtutis
 opus: non tamen quod fini supernaturali sit
 accomodatum, quodque comparatione al-
 lius*

lius bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat. Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Hanc in rem summus Pontifex per mediam & amplius horam perorans Gregorio de Valentia innuebat, ut hanc propositionem S. Augustini doctrinæ conformem esse ostenderet. Hic ergo varia ejusdem Doctoris testimonia, quæ Molinianæ assertioni faverent, allegans, quæ eidem opposita erant, interpretari nitebatur: Postmodum P. Thomas Lemos Ord. Prædicatorum Theologus, qui morbo præpeditus primæ Congregationi non interfuit, a Papa jussus ad propositum disputationis dubium respondit, validisque argumentis ostendit, quod Molinæ propositio a vera & Catholica S. Augustini doctrina longissime distet, locaque omnia hujus S. Doctoris in ejus defensionem adducta in alienum sensum fuerint detorta. Hanc in rem idem Pater multa ex D. Augustino congeffit, ut ostenderet, etiam in genere moris nullam dari posse virtutem sine speciali Dei dono, eaque in parte Molinæ systema haud multum differre ab illo Juliani Pelagiani. Ad hæc responsurus Valentia, denuo contestatus est, nolle se Molinæ sententiam ut veriolem tueri, sed duntaxat ut probabilem, & ab hæresi Pelagiana alienam: respondente autem Lemosio, controversiam D. Augustinum

Sæc. XVII. finum inter & Julianum olim agitata
 A. C. 1602. de virtutibus Deo acceptis & fini super-
 naturali accommodis duntaxat intelligi
 posse, Pontifex loquentem interpellans
 inquiebat: „Profecto S. Augustinus con-
 „tra Julianum non disputabat, nisi de
 „virtutibus moralibus, quas Julianus
 „dicebat reperiri in ethnicis & impijs
 „hominibus. Nec potuit usque ad
 „desipere, ut putaret fuisse in ethnicis
 „veras virtutes fini supernaturali accom-
 „modatas, sed ideo impugnabatur
 „S. Augustino, quia contendebat homo-
 „nem sine gratia posse operari bene mo-
 „raliter propter Deum quod similiter
 „asserit Molina.,,

P. Livin.
 Hist. l. 5.
 cap. 5. p. 355.

His dictis multa de Molinæ sententia
 Lemosium inter & Valentiam disputata
 sunt. Postea ventum est ad hanc quæ-
 stionem: *An virtutes morales sine fide &
 charitate veræ virtutes dici valeant?* Hanc
 tamen quæstionem Pater Valentia di-
 gnam non putabat eo confesso, *commu-
 niter enim Theologi, inquiebat, asserunt,
 sine gratia, fide & charitate fuisse in aliqui-
 bus gentilibus opera virtutum moralium,
 an autem virtutes simpliciter vel solum de no-
 mine dicendæ sint, quæstio est de nomine.*
 Tandem Hieronymus Xavier Ordinis
 FF. Prædicatorum Generalis subjunxit
 quod Molina fateatur: *sententiam illam
 suam non reputari tutam in multis provin-*
 cijs

ciis & Scholis, propter antiquos Patres, Sæc. XVII.
 & Concilia, quæ ex aduerso producantur: A. C. 1602.
 sperat tamen in Ecclesia aliquando desinien-
 dam, vel saltem frequentiore fore.

LXXII.

*Judicium Congregationis de Prima
 Molinæ propositione.*

His ita agitatis iussit Pontifex PP. Le-
 mosium & Valentiam cum suis Ge-
 neralibus secedere: ipse vero unacum
 duobus Cardinalibus cunctisque Con-
 sultoribus de disputata quæstione judi-
 cium ferre cœperat, præcipiens, ut
 singuli suas proferrent sententias, & li-
 bere edicerent, an prima Molinæ pro-
 positio asserta esset secundum mentem
 S. Augustini? Re ab omnibus mature
 discussa censebant omnes hanc propo-
 sitionem esse contra expressam S. Do-
 ctoris doctrinam l. 4. contra Jul. c. 5.
 traditam, nec eam excusari posse ab
 errore, non obstantibus ex aduerso pro-
 ductis Patrum Societatis rationibus.
 Communi tamen huic suffragio non as-
 sentiebantur Episcopus Aquilensis, nec
 non PP. Plumbinus Ord. S. Augustini
 Procurator, & Bovius Collegii Trans-
 pontini Carmelitarum Regens, qui præ-
 fatam propositionem posse probabiliter
 defendi asserebant

*Act. Secret.
 in compendio
 Coronell.
 Hist. Con-
 greg. c. 10.
 lib. 3.*

LXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

§. LXXIII.

*Congregatio III. coram Clemente
VIII. habita.*

Die nona Julii celebrata est Congregatio tertia, in qua secunda Molinæ propositio discutiebatur: Erat autem hæc: *Propositis & explicatis his, quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis, quæ afferri solent, ut homines mereantur sibi persuadere ea revelata esse a Deo, & jussa credi, & denique accedente exteriori vocatione ad fidem per concionatores aliosque Ecclesiæ Ministros, in facultate liberi arbitrii est, cum solo concursu generali Deum rebus propositis assentiri, tanquam a Deo revelatis; actu tamen, qui sit mere naturalis, quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem.*

*P. Livin.
Hist. l. 5.
cap. 5.*

Monente Pontifice, ut Jesuitæ de hac propositione agerent, Claudius Aquaviva eorum Generalis adhuc de prima propositione audiri postulavit. Pontifex, ne ullam Jesuitis querendi ansam præberet, indulgit, ut quæ adhuc in Molinæ favorem proferenda superessent exponeret. His auditis hic Pater fatebatur, a Molina concedi, quod in hac propositione dicitur, sed adhibita ejusmodi interpretatione, qua clarissima Molina ostendit, minime se a D. Augustino

ffino hac in re dissentire: nec obstare Sæc. XVII.
A. C. 1602.
dicebat, quod Molina asseruerit, in facultate liberi arbitrii esse rebus propositis assentiri tanquam a Deo revelatis, eoquod sensus esset, quod talis homo articulis assentiatur ideo, quia sibi persuadet esse revelatos, sicut Lutheranus naturali ratione credendi assentitur rebus a Deo revelatis propter propriam persuasionem, quod talis Revelatio existat. Præterea Pater Valentia probandum sibi sumpsit, Molinam intelligendum esse de *assensu mere opinativo & fide humana*: cum autem id negasset Lemosius, Valentia Molinæ locum ex quæstione decima quarta opposuit, ostenditque, quod Molina nullibi docuerit, excitationes exteriores sine prævenientis interioris gratiæ auxilio sufficere ad initium justificationis, fidemque Christianam, sicut eas sufficere dicebat Pelagius, ejusque Asectæ. Diu tenuit hæc disceptatio Theologorum, quibus tamen unacum eorum Generalibus secedere jussis, Pontifex cum Cardinalibus & Consultoribus diu consultabat: Exstat tamen sequens Censuræ judicium. *Ex contentis in propositione & ex adjunctis, aliisque ex eodem libro consideratis convincitur, Molinam docuisse, ex propria sententia, posse elici ab homine per solas naturæ vires, actum veræ fidei*

*Sæc. XVII. fidei Christianæ quantum ad substantiam
 A. C. 1602. perfectionem assensus excepta sola superna-
 turalitate, quæ illi actui accedit ex auxilio
 particulari & inspiratione Spiritus Sancti
 vel ex concursu habitus supernaturalis: hæc
 autem doctrinam esse proprie & formaliter
 traditam a Molina contra patentissimam
 Augustini doctrinam, a Sede Apostolica
 probatam, constat ex omnibus pene
 libris & Epistolis adversus Pelagianos,
 eorum reliquias editis. Huic censuræ
 nunc non acquievere tres hi Censores
 antea nominati.*

§. LXXIV.

*Congregatio quarta circa tertiam
 Molinæ propositionem.*

*Hist. Con-
 trov. l. 5.
 cap. 7.
 Hist. Congr.
 l. 2. c. II.
 Act. Secret.* In quarta Congregatione, quæ habita
 est die vigesima secunda Julii expo-
 nebatur tertia Molinæ Propositio
 verbis expressa: *Cum quis edoctus fuerit,
 supernaturalem assensum ad salutem
 esse necessarium, viribus naturalibus potest
 optare, ita credere, atque etiam conari,
 ex dono & auxilio supernaturali assentiri,
 denique potest petere, ut auxilium illud
 sibi donetur, & ad illud recipiendum se
 tagere se disponere.*

Circa hoc argumentum Gregorius
 de Valentia genuinum hujus propositio-
 nis sensum exposuit, multisque allatis
 D. Au-

D. Augustini testimoniis comprobatum **Sæc. XVII.**
 reddidit, quod homo sine gratia super- **A. C. 1602.**
 naturali possit moraliter habere actus
 cognitionis, desiderii & petitionis circa
 supernaturalia: hisce autem argumen-
 tis a Lemosio confutatis Valentia pro-
 posuit, Molinam nonnisi locutum fuisse
 de assensu opinativo ac fide humana:
 cum vero ad hæc satis superque jam an-
 tea fuisset responsum, solutus est con-
 ventus, Censoribus sequens ferentibus
 iudicium: *Ex locis citatis apparet Mo-*
linam formaliter docuisse, posse hominem
suis solis viribus naturalibus optare su-
pernaturaliter credere, & auxilium gra-
tiae divinæ petere, atque etiam ad illud
recipiendum se disponere, hanc autem sen-
tentiam esse contra expressam doctrinam
S. Augustini, & continere errorem Semi-
pelagianorum ab Ecclesia damnatum in
Concilio Arausicano II. constet ex Can. 2.
& ex innumeris pene locis S. Augustini.
 Huic iudicio Basilius Pignatellus
 Antistes Aquilanus, Plumbinus & Bo-
 vius non ex integro suffragabantur.

§. LXXV.

*Quinta & sexta Congregatio circa
 quartam & quintam Molinæ
 propositionem.*

Sequen-

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Sequenti die in Congregatione quam disputatum est de quarta Molinæ propositione his verbis concepta: modo Deus sua sapientia leges, quibus tam spirituales, atque ejus incrementa conferret, accomodavit, ut sicut per gratiam, hominis naturam ex se liberam perficiebat, ita etiam & ante receptionem gratiæ, & in ipsa gratiæ receptione, & postea in augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio: quatenus ita esset Auctor omnium bonorum, omniaque accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.

Hanc propositionem Valentia modo D. Augustini doctrinæ consonantem sed & ex fide certam assererat. Historicæ capita ex Molinæ libro opposuit Lemosius, quæ tamen Valentia facile refellere potuisset, imo jam tum refutasse inquit Pater Livinus in sua Historia hæc addens: hæc concertatio videtur Lemosio minime fluxisse ex animi sententia quia Valentia nihil objecit, quod ante confutatum non fuit. Finem tandem deliberationi dedit Pontifex, ac deliberatione cum Episcopis ceterisque Patribus habita censuit, præfatam propositionem S. Augustini doctrinæ adversari. Hæc tamen censura memoratis tribus Consultoribus denuo penitus non probata.

batur. Die autem sexta Mensis Augusti **Sæc. XVII.**
 Clemens VIII. sextæ interfuit Congre- **A. C. 1602.**
 gationi, advocans insuper S. Officii Car-

dinales, Pinellum, Hieronymum Asculanum, Sfondratum, & Franciscum de Avila. In hac Congregatione disceptatum est, utrum, prout quinta sonabat Molinæ propositio, *sine gratia possit homo actum naturalem attritionis & contritionis elicere.* Prior Molinæ sui causam egerat Valentia, qui illum in hanc quidem sententiam inclinasse, non autem illam tradidisse affirmabat, ex adverso P. Lemosius eam ab hoc Authore propugnatam, esse Pelagianam, Canoni V. Sess. XIV. Concilii Tridentini adversam, & a S. Thoma, aliisque Doctõribus reprobam ostendebat. Verum Valentia confestim opposuit, quod hoc Tridentini testimonium de contritione pia & salutari, Molina vero de contritione morali differuerit: attamen Pontifex ex Valentia sciscitabatur, an contritio a Molina stabilita sit fructuosa ac Deo placens, necne? respondente illo, eam per se fructuosam esse moraliter, conciliata vero gratia fructuosam fieri ad salutem æternam, subjunxit Papa, *hoc modo etiam colere agros, habere amicos & alia hujusmodi opera a S. Augustino commemorata sunt fructuosa. Sed hoc non est respondere ad interrogata: quæro igitur, an*
Hist. Eccles. Tom. LIII. N illa

Sæc. XVII. *illa contritio, prout a Molina circumscriptur, sit fructuosa?* ad hæc Valentia idem quod antea, respondit, affirmans Molinam nonnisi spem moralem non Christianam interfructus contritionis recepisse. Cum autem Lemosius opponeret, quod Molina fidem supernaturalem naturæ viribus perinde ac semperlagiani tribuisset, idque a Censoribus definitum fuisse diceret, excandentes, an ipse Congregationis actum ac definitionem legisset, ad quod Lemosius reposuit, *hoc fuit publice conclusum, & ideo me remitto ad acta, ex illis constabit, an Valentia hoc concesserit, an ne?* multis postea ultro citroque disputatis dimissa utraque parte soluta est Congregatio, omnesque tam Episcopi quam Theologi, exceptis Aquilano & Carmelita censebant, propositionem quintam in sensu & terminis traditam a Molina nullo modo posse deduci ex doctrina S. Augustini.

§. LXXVI.

Congregatio septima & octava circa sextam & septimam Molinæ propositionem.

Iidem Authores. Septimam Congregationem die decima nona Augusti habitam exorsus est

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

est Clemens VIII. prolixo sermone, quo
nimium disputandi æstum, ac conten-
tionem fuggillans sextam Molinæ pro-
positionem, in qua dictum, *quod homo
lapsus sine gratia elicere valeat actum na-
turalem dilectionis Dei super omnia*, exa-
minari præcepit. Hanc in rem Pater
Valentia Divi Thomæ sententiam &
communem Theologorum doctrinam
explicans asseruit, quod in eam Molina
propendeat, illa vero plurimum ab er-
rore Pelagianorum distet, quia amor
naturæ viribus a Pelagianis adscriptus
excludere poterat effectum peccati mor-
talis secuturi, qualem amorem Augu-
stinus viribus naturæ lapsæ merito ab-
judicat.

Altera die Pontifex solemnè Sacro
peracto coram Cardinalibus Episcopis
ac Theologis præceperat, ut singuli si-
gillatim mentem suam circa sextam Mo-
linæ Propositionem aperirent: unatum
omnium erat sententia illam adeo non
esse secundum S. Augustini doctrinam, ut
potius eidem omnino adversari videretur:
Repugnabant tamen Aquilanus Episcopus
& Bovius. P. Plumbinus vero
censebat, Molinam in modo saltem lo-
quendi assentiri Pelagianis. In Con-
gregatione nona die secundo Septem-
bris habita circa septimam Molinæ pro-
positionem quæsitum: *utrum sine gratia
possit*

N 2

Sæc. XVII. A. C. 1602. *possit homo lapsus cuilibet tentationi citius gravi resistere, & quamcunque vincere difficultatem, etsi mors sit toleranda.* Hanc assertionem Valentia vindicaturus, viginti sex Doctores scholasticos, qui Molinæ systemati suffragarentur, produxerat: maluit tamen Pontifex, ut a S. Literas, Patres, & Concilia recurreret, eaque ex causa eidem obijceret Canonem l. Sess. V. Concil. Tridentini. Denique soluta Congregatione die tertia Mensis Septembris collata Molinæ propositione cum D. Augustini sententia omnes Consultores, exceptis Pignatelli & Bovio, censuere, eam nec a S. Augustino traditam, neque secundum ejus mentem esse.

Juven. hist.
Soc. l. 24.
pag. 5.
Meyer l. 5.
cap. 11.
Hist. Congr.
t. 3. c. 15.
P. Lemos
Diav.

Hucusque in prioribus Congregationibus agebatur de primo articulo circa vires liberi arbitrii: discutiendum porro supererat alterum dubium, an mente D. Augustini quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum, quod in se Deus suam illi tribuat gratiam? Hæc quaestio erat argumentum nonæ Theologorum disputationis, quæ in Congregationem undecimam incidens usque ad trigessimam Septembris diem ob adversam Patris Gregorii valetudinem differrebat: In ea idem Valentia sanitate redditus primam propositionem, in qua hoc dubium asserere Molina videbatur

propugnandam suscepit, argumento potissimum quæsito ex libro decimo nono S. Augustini de civitate Dei cap. 13. circa quem locum acrior inter ipsum & Lemosium disceptatio incaluerat, tandem Patre Valentia capitis vertiginem patiente, ac Societatis Generali desuper Pontificem monente soluta est Congregatio, in cuius iudicio die prima Mensis Octobris Censores hanc Molinæ propositionem S. Augustino esse contrariam decernebant, reluctans Aquilano, Plumbino & Bovio: Interim omni ferme momento Gregorii Valentia infirmitas ingravescere videbatur; erat enim longius protracto disputationum labore, nimia contentione, nocturnisque vigiliis, necnon Romani aeris, victusque insalubritate fractus: unde jam in undecima Congregatione tantopere defecerat, ut Papa illum inter disputandum sedere pro imperio adegerit, tandem vero viribus lenta phthisi accisis Neapoli, quo ad eas cæli salubritate reficiendas ex Medicorum consilio concesserat, die vigesima tertia Aprilis anno sequenti obiit.

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Juven. hist.
Soc. l. 24. p. 5.
Meyer l. c.
Alegambe
Bibl. Script.
S. J. Acta
Coronell.
Thom.
Triumph.
a. 6. §. 6.
Apol. a. 20.

§. LXXVII.

Philippi III. Hispani Regis epistola ad Oratorem suum.

N 3

Quam-

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Quamprimum de Patris Valentia[m] morbo die nona Octobris Sessæ Dux Hispaniæ Regem, cujus apud Pontificem Orator erat, certiore[m] reddiderat, Philippus disputationem talem interceperat, ad eundem epistolam ex Turin Syllana die tertia Decembris perscriptam his conceptam verbis: *Summa autem voluptate, ex Epistolis tuis datis die nona Octobris, didici, Sanctitatis suæ studium expendenda Divinorum auxiliorum Controversia, necnon futurarum disputationum argumenta, propria ipsius manu scriptaque Consultoribus, ac Disputantibus, transmissit. Et quidem tantæ necessitatis definitio est, tantique momenti præsentium Controversiarum iudicium Apostolicum, ut nihil magis. Idcirco sancte et Religiose in finiendis a Sanctissimo Patre labor impenditur. Nomine itaque meo suæ Sanctitatis significes, negotium hoc omnino urgendum esse, nec inde manum retrahendam, donec ex integro conficiatur, imo etiam quævis data occasione, idem ipsi in memoriam vocameque identidem moneas, quo loco res constitutæ sunt. Donec enim rem plane confectam videro, irrequieta sollicitudine cruciabor.*

§. LXXVIII.

Congregatio XIII. et XIV.

Pol.

Postquam hucusque in superioribus Sæc. XVII.
 Congregationibus potissimi Patres, A. C. 1602.
 Molinam S. Augustini doctrinæ adver-
 sari, censuissent, Clemens VIII. de e- *Hist. Congr.*
 jusdem cum Cassiani erroribus concor- *lib. 3. c. 9.*
 dia agi præcepit, hancque in rem qua- *§ c. 16.*
 tuordecim potissimas Molinæ propo-
 sitiones cum Cassiani doctrina conferen-
 das designavit, quas Secretarii utrius-
 que Ordinis Generalibus die sexta Octo-
 bris tradiderant. His die octava ejus-
 dem Mensis scriptotenus, responderunt
 FF. Prædicatores, qui collatis utrius-
 que testimoniis Molinam & Cassianum
 in quatuordecim hisce articulis conve-
 nire demonstrabant. Jesuitæ vero nil
 scripto dedere, sed oppositum in publi-
 cis disputationibus se ostensuros pro-
 misere: hinc in Congregatione decima
 tertia die decimo octavo habita de pri-
 mis duabus Molinæ Propositionibus age-
 batur, quarum prima erat: *Homo in na-
 tura lapsa habet naturale judicium ad cogno-
 scendum malum & bonum, & naturalem
 facultatem ad utrumque amplectendum.* Di-
 sputabant P. Lemos & P. Arrubal, qui
 Gregorio Valentia subrogatus est. Hanc
 in rem cum multa ultro citroque pro-
 lata fuissent, demum die sequenti post
 maturam utriusque propositionis discus-
 sionem omnes tam Episcopi quam Theo-
 logi, excepto Antistite Aquilano &
 N 4 Boyio,

Sæc. XVII. Bovio, illas omnino cum Cassiano con-
 A. C. 1602. venire censebant. Idem ferebatur iu-
 dicium de altera propositione his ver-
 bis concepta, *Homo in natura lapsa ha-
 bet facultatem naturalem ad amplectendum
 bonum vel malum*, in qua propositione
 Molinam cum Cassiano non convenire
 ostendit P. Arrubal.

§. LXXIX.

Congregatio XV. XVI. XVII.
 & XVIII.

Hist. Contr.
 l. 5. c. 15.
Hist. Congr.
 l. 3. c. 17.

Die nona Decembris coram Clemente
 VIII. habita est Congregatio decima
 quinta, in qua agebatur de tertia
 Molinæ Propositione: *quod homo potest
 ex sola facultate naturæ diligere Deum
 per omnia*. Cum autem Claudius
 quaviva supremus Societatis Modera-
 tor valetudinis causa sese apud sum-
 mum Pontificem excusasset, sui Vice-
 rium Patrem Ferdinandum de Bastida
 misit, ipse vero aeris salubrioris deli-
 derio Tusculum secessit. Eadem die
 disputatum de quarta propositione his
 verbis expressa: *Deus expectat nostrum
 Conatus, aliquando tamen Deus nos pro-
 venit*, circa utramque tamen assertionem
 die decima ejusdem Mensis Episcopi
 omnes excepto Aquilano censuere, illas
 convenire cum Cassiani errore: idem
 quoque

quoque iudicium excepto Bovio ferebant Patres Theologi, Plumbinus autem enuntiabat, Molinam, quod attinet ad actus morales, consentire cum Cassiano & Pelagio, quantum vero ad san-
 Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

nitatem naturæ pariter iudicabat Molinam consensisse cum Pelagianis, & quod spectat ad supernaturalia, censuit Molinam non in re & sensu sed in modo loquendi convenire cum Cassiano. In Congregatione decima septima, quæ coram Clemente VIII. habita est, die decima sexta Decembris agebatur de quinto articulo, ubi FF. Prædicatores ex tribus *Concordiæ* locis Molinam consentire cum Cassiano agebant circa hanc propositionem: *Deus quodammodo occasiones quærit & expectat, ut datio & largitio suæ gratiæ rationabilis videatur.* Eadem die pariter disputatum est de sexta illius propositione, quæ sic sonat: *Homo in natura lapsa sufficientes vires habet, ad resistendum gravibus tentationibus & ad superanda singula difficilia.* Utramque propositionem P. Arrubal a Cassiani errore vindicare satagebat variis hanc in rem allatis argumentis. Tandem die decima septima, ejusdem Mensis unanimes, solo refragante Bovio Carmelitarum Regente, censebant Molinam in utraque propositione convenire cum Cassiano. Toto igitur anno crebris di-

Sæc. XVII. sputationibus infumpto tam necessaria
 A. C. 1602. Ecclesiæ definitio nondum speranda e-
 rat, etsi omnes propositiones ultro ci-
 troque in cunctis Congregationibus di-
 acriterque fuissent agitatæ.

§. LXXX.

*Propositio a Clemente VIII. pro-
scripta de absentis absolutione.*

Bullar. t. 3.
Constit. 87.
Argentre
de novis er-
roribus t. 3.
fol. 171.
Hist. Congr.
de auxil. l. 2.
cap. 30.

Indefessa hæc enatam in Ecclesia con-
 troversiam decidendi sollicitudo haud
 adeo Clementis VIII. animum abso-
 luebat, quin pastorem quoque curam
 suam ad excidendos abusus sensim in
 ipsam etiam Sacramentorum admini-
 strationem irrepentes extenderet: cum
 ergo compertum haberet, quod Theo-
 logorum nonnulli in privatis suis Præ-
 lectionibus ac collegiis traderent, imo
 etiam publice quidam Jesuita Floren-
 tiis sermone ad populum habito docu-
 set, quod Confessio Sacramentalis ab
 absente pœnitente absenti Confessario
 per nuntium vel epistolas fieri valeat,
 hinc summus Pontifex haud contentus,
 quod in hunc Concionatorem a S. Offi-
 cii Judicibus summo jure animadverti
 præciperet, insuper hoc anno die vige-
 sima Julii edita Constitutione declara-
 bat, falsam, temerariam ac scandalo-
 sam esse hanc propositionem, quod si-

Epistola Du-
cis Sessæ ad
Hispan. Re-
gem die
II. Junii
1602.

ceat per literas seu internuntium Confes-
 sario absenti peccata Sacramentaliter con-
 fiteri, & ab eodem absente absolutionem
 obtinere. Præterea indicta anathema-
 tis pœna inhibuit Pontifex, ne deinceps hæc assertio publicis privatisque
 Lectionibus, concionibus & congressi-
 bus tradatur, nec unquam, tanquam
 aliquo casu probabilis propugnetur,
 typis vulgetur, aut ad usum deduca-
 tur. Huic iudicio præcipue occasio-
 nem præbuit Franciscus Suarez S. J.
 qui Disp. 19. & Disp. 21. de Sacra. Pœ-
 nitentiæ hanc doctrinam Ecclesiasticæ
 disciplinæ omnino contrariam esse osten-
 dit: oppositam vero propagaverat no-
 xium opiniones probabiles amplectendi
 studium, quo abrepti Theologorum
 nonnulli, ut pœnitentibus suis compla-
 centes salutarem verecundiam mitiga-
 rent, perversum hunc Confessionis usum
 induxerunt, in subsidium laxitatis suæ
 vocantes quædam statuta ac Canones,
 in quibus tamen nonnisi de absolutione
 a censuris, non vero de Sacramentali
 agitur.

§. LXXXI.

Transylvaniæ motus.

Etsi Transylvania ferme integra, ut *Thuan. Hist.*
 supra memoravimus, a Georgio *l. 127.*
 Basta Cæsareo castrorum Legato in Cæ- *Mercurius*
 Gallis *Gallo*
 faris *Belg. l. 7.*

Sæc. XVII. faris potestatem fuerit redacta, quam
A. C. 1602. plurimi tamen, ac præprimis e nobi-
 lium Ordine a Cæsare alieni, qui Bist-
 ricium munitam Septentrionalis Dacie
 urbem cum exercitus sui reliquiis sese
 contulerant, eoque pretiosiora quæque
 congefferant, novos concitarunt motus.
 Basta igitur cum exercitu suo aliisque
 Nobilibus ingenti alacritate eo profe-
 ctus, urbem obsidet, murisque tormen-
 torum vi dejectis Gallos Belgas ac Ger-
 manos per ruinas latius patentes im-
 mittit, qui tamen hostium ac periculi
 contemptu incautius longiusque abrepti
 ab obsessis non sine clade repulsi sunt:
 ea propter Basta, ut vel hostem injecto
 terrore ad innoxiam induceret deditio-
 nem, vel milites suos ad imperterritam
 oppugnationem accenderet, præ-
 conis voce proclamari iussit, totam ur-
 bis prædam iis, qui per vim irrumpe-
 rent, esse relinquendam: cum ergo
 miles irruptionem faciendi aviditate ar-
 deret, obsessi e suis quosdam ablegant,
 qui vim deprecantes de deditiois con-
 ditionibus agerent, quas tamen oppidi
 Magistratus, cum duriores viderentur,
 acceptare renuebant: hinc oppugnatio
 majori, quam cæpta esset, furore re-
 dintegratur, Cæsareis ob prædæ spem
 extrema quævis tentantibus: Interea
 Sigismundus Bathorius Nicolaum Vi-
 gadum

gadum ad Bastam misit, qui significa-
 ret, quod nec ipse nec cives Bristri-
 ciani contra Cæsaream Majestatem bel-
 lum gerere, sed lubenti animo se ejus
 potestati subicere intenderent, dum-
 modo æquis conditionibus pax conce-
 deretur. Basta igitur, ne obsessi ex
 desperatione animum resumerent, ve-
 ritus, oppidanos his legibus in gratiam
 recepit, ut triginta talerorum millia
 multæ nomine penderent, & qui di-
 scedere vellent, cum suis bonis incolu-
 mes in locum tutum deducerentur: His
 ita pactis trecenti circiter urbe exeunt,
 quos Bastæ Equitatus ante portam ex-
 ceperat: ipse vero Basta urbem ingres-
 sus præprimis Sacrum solemne celeb-
 rari præcepit, & severissime prius inter-
 dixit, ne quis sponte sese deditibus
 vim ullam faceret, aut fieri pateretur:
 Attamen Bastæorum militum cupiditate,
 & prædæ flagrantium perfidia Nobiles,
 cum vix duas leucas progressi essent,
 contra jus fidemque datam spoliati, ac
 unacum uxoribus, liberisque captivi
 abducti sunt, nec quicquam obsistenti-
 bus Præfectis, quorum nonnulli, dum
 militum furorem sistere conantur, ægre
 vitæ periculo sese subducere poterant.
 Hujus criminis fama ad Bastam delata
 ipse toto itineris studio advolans in reos
 inquire jubet, quorum quosdam e ve-
 stigio

Sæc. XVII.
 A. C. 1602.

Sæc. XVII. stigio suppliciis affectit, omnemque præ-
 A. C. 1602. dam spoliatis restituit: inde vero reve-
 fus urbem, quo minus vastatione
 flammisque deleteretur, præservare stu-
 duit.

§. LXXXII.

*Moses Cicularum Dux a Basta
 profligatus.*

*Panon. Bell.
 Hist. p. 1.
 Petrus de
 Reva Mo-
 narch. cent. 6.* **D**um interea de Sigismundo Batho-
 rio, qui omni ope destitutus quo-
 vis pacto pacem exorabat, in Cæsaris
 gratiam revocando agebatur, Moses
 Cicularum Dux, qui antea ad Polonos
 & Turcas profugerat, collectis quatuor
 circiter millibus prope Marisium flum-
 en inter angustos colles latitabat.
 Transylvaniæ invadendæ occasione in-
 tentus. Basta de infidiis a Tschiacco
 Istuano certior factus, nulla mora Vi-
 seburgum contendit, quo comperto
 Moses missis ad eum nuntiis colloquium
 postulat: ablegato igitur Istuano Basta
 quo animo tam copiosum militem ad-
 duxisset, exquiri jubet: ad hæc respon-
 dit Moses, potiori nobilitatis parti inite-
 cum Bathorio condiciones displicere,
 proin se magis honestas expetere: Basta
 ex hoc responso capiti suo fabam cudi-
 haud ignarus, eundem ad saniora confi-
 lia persuadere nitebatur; cum antem
 surdas

furdas pulsaret aures, die vigesima Sæc. XVII.
 octava Junii noctu quindecim millium A. C. 1602.
 exercitum admovit, initoque prælio
 hostiles cohortes profligavit, cælis
 Transylvanorum, Tartarorum & Turca-
 rum tribus millibus, ipse autem Moses
 propudiosa fuga ægre salutis suæ consu-
 luit. Hac strage territus Bathorius
 ipse tertio post die ad Basta venit,
 ac de Mosis perfidia se purgans Millen-
 bachium unacum Basta contendit, ibi-
 demque Transylvaniæ Principatum rur-
 sus Cæsari cedens, se totum ejus cle-
 mentiæ permisit.

§. LXXXIII.

*Budensis Purpuratus a Christianis
 captus.*

Interea bellum in Hungaria vario Mar-
 te gestum est; quippe ineunte Mense Panon. l. c.
 Aprili Altheimius arcem prope Visebur- fol. 270.
 gum sitam obsidere cœperat, exorta ta- Mercur. l. c.
 men Hussaros inter & Germanos dissen-
 sione erumpentes Turcæ cæsis plusquam
 nongentis, Cæsareos ad solvendam obsi-
 dionem compulerunt: sequenti autem
 Mense Haiducci, qui Jaurini & Comor-
 ræ præsidia agebant, feliciori Marte
 contra Turcas pugnabant. Hi dum
 sexaginta circiter Turcas secum captos
 abducere parant, certiores fiunt, quod
 Ali

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Ali Budensis Bassa olim Canisæ Prefectus unacum Panquero Apostata secundo flumine ad Vesirem excipiendum descendere pararet: hunc ergo viginti milliaribus infra Budam adorienturum moxque quatuordecim suorum occisum Purpuratum cum ingenti præda Janissarum abducunt, Panquero autem, qui desperatione in rabiem versa se dedere renuebat, detractis vestibus & annulo caput abscindunt, illudque in Danubium projiciunt. Bassa quæstione tributa confessus est, quod Turcarum Imperator hoc anno Hasanam Purpuratum cum ingenti Janissarorum manumissurus esset, jamque hujus exercitus pars Belgradum pervenisset, ac proxima foret non modo Strigonii sed & Albæ Regalis obsidio, in opem advocata maxima Asiatici exercitus parte conductisque Tartarorum octoginta millibus. Præterea asserebat, Budam non modo sex millium præsidio, sed omnino necessario apparatu, præterquam annuæ firmatam, Pestam quoque valido præsidio munitam esse.

Thuan.
l. 127.

§. LXXXIV.

Alba Regalis a Turcis recuperata.

Reva de
Monarch.
Hung. cent. 6.
Mercur. l. c.

His rebus a Bassa cognitis exploratoque Vesiris Hassanæ adventu Martius

thias Archidux Belliducibus Viennam Sæc. XVII.
 accersitis, quo pacto validius hosti oc- A. C. 1602.
 curri posset, deliberat, ubi decretum,
 Budam recta petendam, eoquod Hassa-
 nam eo jamjam cum septuaginta suo-
 rum milibus properare nuntiatum ef-
 fet: nec vanus erat rumor; hic enim
 ingenti celeritate Budam percurrens,
 die duodecima Augusti utraque ex par-
 te Albam Regalem obsidere cæpit, toto
 impetu in Sigetanum suburbium verso,
 cujus tamen præfidiarii alacriter erum-
 pentes hostem iterata clade repulerunt,
 tandem vero Turcæ numero superiores
 Suburbium impressione ad sex horas pro-
 tracta occupant, Germanis unacum I-
 fulano Comite sese ad urbem recipien-
 tibus; Heiducci quoque, cum per pa-
 ludes viam sibi aperire certarent, plus-
 quam mille ceciderunt, non minori ta-
 men Turcarum clade. Die autem de-
 cima octava occupato alterius suburbii
 vallo Hassana toto armorum impetu in
 urbem irrumpere parat, & quamvis cæ-
 sis suorum octingentis recedere coactus
 esset, nihilominus desperatione auda-
 ciam inflammante die vigesima quarta
 ejusdem Mensis crebris tormentorum
 ictibus tam ampla ruina muros disjecit,
 ut vigesima octava die sæpius suos im-
 mittere tentans, urbem tanta vincendi
 pertinacia aggrediretur, ut vigesies re-
 pulsus

Hyl. Eccles. Tom. LIII.

O

pulsus

Sæc. XVII.
A. C. 1602
 pulsus, continuata tamen per integrum diem oppugnatione sex millia Janissariorum amitteret: Ex nostris vero defiderati fuerunt mille, ipse vero Ifulanus Comes graviter vulneratus est: huius fato territi milites gregarii abjecta defensionis spe, insciis invitisque Ducibus, ac Tribunis suis, cum hostibus de deditioe agere cœperunt, cumque obfides utrinque traderentur, perfidi Valones & Janissari turmatim muros transcenderunt, indomitoque furore irrumpentes insuperhabita pactæ incolumitatis fide obvios quosque trucidarunt, ceteris in castra abductis. Hac suorum perfidia vehementer commotus Venerius captos Ductores nonnisi soluto bitro, gregarios vero milites Polottam libere dimisit, Ifulanum autem Comitem Albam Græcam conduci iussit. Nacti sunt ibi Turcæ decem belli tormenta nova, præter ea, quæ ibidem jam antea erant, necnon pulveris pyrii, salis, missilium & pecuniæ copiam haud contemnendam.

§. LXXXV.

*Pesta a Christianis capta, & Budæ
 incassum obsessa.*

Mercurius
l. 7. Panon.
Chron. p. 1.
Hac victoria animati Turcæ in vicinos agros præcipue Waiciensem populabundi excurrebant, unde Præfidarii obli-

obsidionem, quam verebantur, susti-
nendo impares, destructis propugnacu-
lis unacum belli tormentis ad Chri-
stianorum castra secessere, ubi in itinere
in octingentorum Turcarum agmen pro-
pe Agriam incidunt, hostemque muni-
tioris loci fiducia sopitum in fugam a-
gant, ac tandem opima præda onusti
Strigonium ad suos contendunt. Motis
inde castris totus exercitus die secunda
Octobris Budam pervenit, occupato-
que S. Gerardi monte sua castra com-
munire sategit, Turcis valida eruptio-
ne laborantes præpedire nequicquam
conantibus. Junxerant Budam & Pe-
stam urbes ponte, ad annonam & sup-
petias ultro citroque advehendas per-
opportuno, quo rupto proin interclusa
mutui accessus libertate, cum Chri-
stiani alterutrius urbis expugnationem
multo magis expeditam reddi probe
cognoscerent, navem incendiariam nova
arte constructam recta ad pontem im-
pellunt, insequentibus novem aliis na-
vigiiis, ad quorum conspectum Turcæ,
quod res erat, suspicati magno numero
ad pontem convolant, densoque telo-
rum imbre Cæsareos petunt; fervente
autem tumultu navis emissa diffilit, sua-
que mole, pyriique pulveris vi pontem
non sine ingenti hostis clade dirumpit:
mox nostri in navigiis latentes propug-
nacu

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Sæc. XVII. naculum ad Danubii defensionem ex-
 A. C. 1602. structum aggrediuntur, haud segnius

Turcis e Buda in opem accurrentibus:
 quocirca Comes Sulcensis idem propugnaculum cum suis adorsus occupat. Turcasque pontem propugnantes aggressus in fugam agit. Hac ratione libero aditu patefacto die sexta Octobris Cæsarei ductoribus Sulcensi Comite & Althemio, ut hostem fallerent, oppidum noctu ad fluminis oram invadunt, interim Turcis tuendo fluvio unice intentis e terra Equites admotis scalis magno numero mœnia transcendunt. Inde consternati Turcæ, ubi circumventos se vident, deditioem offerunt, que negata non sine ingenti clade in munitiora urbis loca sese recipiunt, Christianorum vero fortitudinem sustinendo impares vitam modo pacti cum uxoribus, liberisque se dedunt, polliciti, se parem deditioem conditionem a Budensibus impetraturos. Hi vero a nostris sollicitati se dedere recusabant, quocirca ponte restaurato die undecima ejusdem mensis Budæ oppugnatio totis viribus inchoata est: qua comperta Vezires Bassa cum viginti suorum millibus accurrens, die decima quinta haud procul ab oppido Pesta castra metatur, nostrosque invadens propugnaculum prope pontem erectum oppugnat: fer-
 vente

vente hoc conflictu duo Turcarum mil- Sæc. XVII.
 lia e Budensi oppido erumpunt, pri- A. C. 1602.
 moque furore centum e Cæsareis tru-
 cidant, Equitibus tamen in opem ac-
 currentibus repulsi: iterata autem e-
 ruptione die decima septima res ad
 pugnae necessitatem devenit, æquata
 utrinque clade: vigesima prima ejus-
 dem Mensis die Vezires Pestam toto im-
 petu, incassum tamen, adoritur: altera
 autem die Cæsarei patefacto murorum
 hiatu usque ad seram noctem impetum
 urgent, & licet, Turcis valide vim
 repellentibus, plusquam mille ex nostris
 fuerint desiderati, nihilominus cum a
 quodam transfuga præfidiarios annonæ
 penuria laborare edocti essent, rursus
 impetum in urbem parant, atque octo
 Turcarum millibus in Christianorum
 castra advolantibus, necnon die vige-
 sima sexta cum toto peditum equitum-
 que agmine erumpentibus non sine mu-
 tua clade utrinque pugnatum est: Dum
 ita nostri Budam oppugnant, Vezires
 famis vehementia pressus die secunda
 Novembris Pestanam obsidionem solvit,
 Tolnamque eo fine contendit, ut tra-
 jecto flumine Visenburgensibus Turcis
 auctus Cæsareorum castra invaderet:
 ast a Colonitzio inopina vi obrutus de-
 sideratis suorum sexcentis repulsus est.
 Tandem Matthias Archidux, qui die
 O 3 deci-

Sæc. XVII. decima octava ad castra advenerat, cum
A. C. 1602. Christianorum virtuti successus fove-
 haud colluderet, hyemisque ac plu-
 viosi aeris intemperies ingrueret, op-
 pugnationem intermittere statuit, Hal-
 duccis interea annonæ transitum urbi
 intercludentibus.

§. LXXXVI.

*Edictum Henrici IV. Galliarum Re-
 ges contra Duellantes.*

Thuan. hist.
l. 129.
Daniel hist.
de France
ann. 1602.
tom. 10.

Cum in Galliis ad singulare certamen
 provocantium furor tantopere in-
 valesceret, ut intra paucos Menses qua-
 tuor Nobilium millia occisa numeraren-
 tur, atque ad Henricum IV. Franciæ
 Regem, cum Blæsis esset, de duello-
 rum licentia, quæ in Dei contumeliam,
 animarum perniciem & labefactandam
 legum auctoritatem cedebat, crebra
 querelæ ex omnibus Provinciis defe-
 rentur, ipse de coercenda hac perni-
 ciosissima licentia serio egit, editoque
 edicto statuit, ut tam ad certamen pro-
 vocantes quam provocati, si ad illud
 comparerent, capitali pœna puniren-
 tur, hi vero, qui provocationis literas
 deferrent, aut provocanti vel provo-
 cato tanquam testes, quos Patrinos vel
 secundantes vocant, assisterent, pro-
 scriptis eorum bonis sine spe veniæ ple-
 terentur:

sterentur: Præterea sancitum, ut qui ^{Sæc. XVII.} honorem suum graviter læsum caussa- ^{A. C. 1602.} rentur, aut ad certamen, quod citra notam infamiæ inter Nobiles & militares Viros detrectare non possent, provocati essent, ad Provinciarum vel militiæ Præfectos recurrerent, qui auditis utrinque partibus, interdicta omni armorum vi, injuriam ex æquo & bono resarcire tenerentur, utraque parte eorum judicio stare compulsis: Si vero secus fecerint, concitata in se Regis indignatione aula ac provincia exularent, vel aliis ad arbitrium pœnis castigarentur, in occisos vero tanquam læsæ Majestatis reos speciali judicio ageretur. Hoc Regis edictum Mense Junio in Senatu promulgatum est, exiguo tamen fructu, quia ipsemet Rex, ut fertur, duella recusantes nonnunquam facete cavillaretur. Eodem hoc anno, cum Clemens VIII. anno Christi millesimo nonagesimo secundo die decima septima Augusti Pii IV. Gregorii XIII. & Concilii Tridentini pœnas in duellantes latas confirmasset, simulque statuisset, ut absolutio ab excommunicatione ob duellum incurfa extra articulum mortis duntaxat a Romano Pontifice impendi possit, die decima sexta Novembris promulgato Sacræ Congregationis decreto declarabat, quod Regulares omnes

Bullar.
Clem. VIII.
Const. II.

Sæc. XVII. omnes ab hac censura extra Italiam
 A. C. 1602. extra urbem virtute suorum privilegio-
 rum absolvere valeant.

§. LXXXVII.

*S. Francisci Salesii inauguratio in
 Episcopum Genevensem.*

*Opera S.
 Franc. Mau-
 pas du Tour
 vita B. Fran-
 cisci.*

Prov. 5.

Jam anno Christi millesimo quingen-
 tesimo nonagesimo octavo Claudius
 Granierus Genevensis Episcopus S. Fran-
 ciscum de Sales in Pastoralis sollicitu-
 dinis partem nominabat, quam tamen
 Coadjutoris dignitatem ipse omnibus
 inservire, nulli præesse studiosus ter-
 tia jam vice recusans, tandem instante
 Sabauda Duce acceptare cogebatur.
 mox præfati Episcopi jussu Romam con-
 tendit, ubi summis honoribus exceptus
 præsentem ipso summo Pontifice, octo
 Cardinalibus & viginti tam Archiepi-
 scopis, quam Episcopis, pluribusque
 Ordinum Generalibus Theologicum
 subibat examen, in quo ad triginta quin-
 que propositas quæstiones maximo om-
 nium applausu & admiratione doctissi-
 me respondit, ipso Papa in ejus ample-
 xus ruente inter hæc verba: *Bibe aquam
 de cisterna tua & fuenta putei tui: de-
 riventur fontes tui foras, & in plateis a-
 quas tuas divide.* Inde Genevam rever-
 sus Salesius, obtento Nicopolitani Epi-
 scopi

scopi titulo ineunte hoc anno ad Cleri ^{Sæc. XVII.}
 sui preces Parisios venit, ab Henrico IV. ^{A. C. 1602.}
 Galliarum Rege Ecclesiasticorum pro-
 ventuum restitutionem impetraturus,
 ad cuius alloquium Fontis Bellaquei
 admissus præter maximas honorum si-
 gnificationes optato Legationis suæ suc-
 cessu potiebatur. Postquam igitur no-
 no Mense ibidem substiterat, tandem e
 Galliis reversus in itinere non sine ma-
 ximo animi sui dolore Granierium de-
 cessorem suum obiisse percepit, quapro-
 pter Gebennam adventans urgente Cle-
 ro in Thorensi Ecclesia die octava De-
 cembris hoc anno a Vespasiano Gri-
 baldo Viennensi Archiepiscopo in Gene-
 vensis Ecclesiæ Præsulem ritu solemniter
 inauguratus est.

§. LXXXVIII.

Galliæ Delphinus veneno impetitus.

Anno priori, quo in Hispania die vige- ^{Janson. }}
 sima secunda Septembris primoge- ^{lib. 26.}
 nita Philippi Regis Filia Anna Maria ^{Metteran.}
 Mauritiana nascitur, in Galliis quoque ^{l. Belg. 21.}
 Delphinus nomine Ludovicus XIII. die
 vigesima secunda ejusdem Mensis ma-
 xima utriusque Regni lætitia primam
 lucem aspexit, cui recens nato Hen-
 ricus IV. Parens capulum gladii dexteræ
 inseruit, precatus, ut eo ad Dei glo-
 riam

Sæc. XVII. riam & Ecclesiæ defensionem uteretur
 A. C. 1602. Hic in Divi Germani suburbano,

nutricis cura in spem Regiæ Borbo-
 niorum successione educabatur: dum
 autem Rex die decima septima Junii
 Lutetia digressus ad hoc oppidum ve-
 nerat, non sine maxima animi admi-
 ratione percepit, hanc nutricem de-
 pente sub illum ipsum vesperum esse
 extinctam, eoquod eidem Hugonotto-
 rum, ut creditum fuerat, nonnulli
 pera manumque coquinæ ipsis addita
 conducta, ossam veneno imbutam in
 prandium attulissent, eo fine, ut mor-
 tam in ipsam, quam ut per ejus man-
 las in Delphini vitam grassarentur: At-
 tamen nutrix simulac conceptum vitiis
 ribus toxicum animadverterat, ipsa
 quidem exitii certissima, in id unice
 intenta erat, ne malum hoc idem & Re-
 gius Filius incurreret: quocirca inhu-
 manitate prorsus clementissima, quan-
 tumvis avidè inhiantem lactis tractum
 confestim arcuit, huncque in modum
 adhuc incolumem servavit.

§. LXXXIX.

Funesta Bironii Ducis fata.

Thuan.
 l. 128.

Daniel l. 10.

Rapin. Hist.
 d'angl. l. 17.

Non minus feliciter Henricus IV. Lu-
 dovici XIII. Parens eluctabatur in-
 fidias, sibi a Carolo Gontalto Bironii
 Duce

Duce structas. Hic ob bellicam virtutem Regi percharus tam amplis cumulabatur favoribus, ut vix non ab eo solo dependerent, cunctaque in regno administrarentur, unice tamen ambitionem suam coercendo impotens erat; cum enim a Rege Bruxellas Legatus mitteretur, Alberti Archiducis juramentum de Verbiensi pace servanda excepturus, salutabatur a Picoto natione Aurelianiensi ac Francia extorre, qui olim a Luxii copiis captus, ac sine lytro ab ipso Duce libertati assertus, pro innata incudendis atque exequendis consiliis dexteritate sua in variis colloquiis Bironio infusurrabat, quod ob egregias animi sui dotes Hispaniæ Regi percharus facile ad supremos honorum apices ascendere posset, dummodo ipse sibi viam non occluderet: hamum incautius devorans Bironius, Picotum Parisios venire jussit, ea, quæ obscuris non nisi verbis prælibasset, apertius declaraturum: interea inter ambos frequens erat commercium literarum, quæ ex Hispania, Taurino & Mediolano allatæ ad Dolensem civem, nomine Bibum ex condicto directæ, Bironii ambitionem mire fovebant, facta nuptiarum spe nunc cum Maria Austriaca Rudolphi Cæsaris nepte, nunc cum Emanuelis Sabaudia Ducis Filia. Tam splendidæ affinitatis

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Mem. Secret. tirés des Archiv. parti. I. 82. fol. 362.

Sæc. XVII. A. C. 1602. tis felicitas tantopere inflabat Bironium, ut indignationem suam, quam contra Regem ob denegatam Burgundicis Præfecturam conceperat, haud amplius dissimulans effræni libertate hunc Principem ingratitude, aliorumque criminum infimularet, haud parum confutatus a perfido Jacobo Laffinio, quem Bironius omnium arcanorum participem reddebat: Postquam autem Sabaudia Dux in Franciam venerat, ceterum Bironii exitium cudi cœperat, cum enim Hispaniæ Orator Ducem missum iret, eique exprobaret, quod non nisi foedus contra Philippum cum Henrico initurus aulam accessisset, idque ex ipso Regis Galliæ ore compertum esset, Sabaudus ira commotus atrocibus convitiis Regem petebat, inter cetera commemorans, Regem de Bironio ejusque Patre dixisse, quod merita ab utroque præstita nequaquam æquarent molestias sibi ab utriusque ambitione & insolentia caussatas. Ad hæc Bironius in rabiem actus respondit, si præfens adfuisset, hanc injuriam Regionem sanguine vindicasset, postea plura adhuc in Henricum evomens Emanuel Sabaudus manifestabat, quod Rex Burgundicis Præfecturam committere vellet Boesio Calvinistæ, eo fine, ut Catholicis suppetias ex Hispania & Sabaudia reciperent.

cupiendi opportunitatem intercluderet, Sæc. XVII.
hacque ratione Hugonottarum Secta A. C. 1602.
in munitissimo Christianæ Reipublicæ
loco prope Genevam stabilita novas vi-
res acciperet. Ut ergo Religio Catho-
lica, bonum publicum, & totius sta-
tus privilegia facta servarentur, jam-
jam in Regno fortium Virorum agmen
esset conflatum, cujus præcipui Duces
forent ipse, & Alvernæ Comes una-
cum Connestabili, ac Regii Sanguinis
Principe Sueffionensi Comite, quem in
Henrici locum Franciæ solio destinaf-
sent. Percepto hoc consilio Dux om-
nem opem pollicitus Bellium Cancel-
larium suum ad Hispaniæ Regem ab-
legat, de agitatis edocendum. Hunc
in finem Renazeus Laffinii Domesticus
Taurinum decernebatur, qui Hispaniæ
Oratorem hac de re certiozem redderet.
Jam antea desuper colloquium cum Bi-
ronio, Alphonso Idiacquo & P. Ale-
xandro Jesuita Divioduni habebatur:
fertur quoque Taurini fuisse decretum,
quod Bironius Franciæ Regem vena-
tioni intentum caperet in Hispaniam ab-
ducendum, vel in quodam Monasterio
recludendum. Utut res se habuerit,
id tamen exploratum habetur, quod
Madritenses Aulici totum negotium re-
liquerint Comiti Fontano Mediolanensi
Gubernatori, qui tamen conjuratorum
parti-

*Guichenon.
Hist. de
Savoie.*

Sæc. XVII. partibus accedere renuebat, donec
 A. C. 1602. Bironii proposito certus esset: cum
 ro in promissi auri securitatem Monmelianum, præter alia duo loca ab Emanuele Sabaudixæ Duce peteret, hic Princeps inde offensus conjurationis agitata consilia detestatus est, quam Francixæ Rex eidem armis suis Comberium & Monmelianum eripuisset.

§. XC.

Bironius a Laffinio proditus.

Memoir. secret. tom. 1. pag. 1.
Daniel l. c.
Memoir. de Sulli t. 1. cap. 95.
Cayet a l'an. 1602.

Jamjam Bironii fides Henrico Regi inspecta esse cæperat, id quoque cum suboleret ipse, Lugduni cum Rege ambulans fatebatur, quod ob denegatam Burgi Præfecturam indignatione expugnatus Sabaudixæ Ducis consiliis ac præcipue oblatis filixæ suæ nuptiis contra Regis sui obsequium nimium faciles præbuisset aures: jam vero penitentia ductus veniam exoraret. Res inquietos subditos, quorum ingens numerus tum in Galliis erat, clementer ad officium reducere intentus, non modo præteritorum oblivionem spondebat, sed insuper Bironium ad Elisabetham Angliæ Reginam, necnon ad Helvetios Legatum decernebat: Postquam vero Regi per Combellum innotuerat, quod Bironius cum Alvernixæ Duce & Bul-

lionio novam armorum societatem iniisset, his vero pactis Laffinius, ut iustus erat, subscribere renuisset, Carnutessem Vicedominum sollicitabat, ut Laffinium Patrum suum a Bironii partibus abstrahere, totis viribus niteretur. Hic impunitatis pollicitatione plectus, ac aliunde Malenium Luxium in Bironii amicitia sibi præferri indignatus, Goffelinum ad aulam nuntiatum miserat, quod maximi momenti arcana, quæ Regi aperiret, haberet: Paulopost Comes Fontanus, quod rei suberat, suspicatus, Laffinium ad Sabaudix Ducem, ut ab eo custodiæ manciparetur, mittere constituit. Hic vero postquam Renaseum, quem sibi a secretis habebat, in sui locum, eo ablegabat, quem etiam Dux mox carceri dedit, ipse mox recta in Franciam contendit, ubi Mense Martio Fontem Bellaqueum perveniens totam conspirationis seriem productis ipsius Bironii literis Regi manifestavit. Hic rem provide dissimulans Luxio, qui tum in aula agebat, familiariter dixerat, se non sine maxima animi sui lætitia ex Laffinio percepisse, quod falsus rumor de perversis Bironii consiliis duntaxat consuetis suis jactationibus inniteretur, a quibus tamen, ne illas ejus inimici in ipsius exitium verterent, caute abstinere

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Sæc. XVII. nere deberet. Hæc Regis verba mo
 A. C. 1602. Luxius ad Bironium, qui tum in Bur
 gundia erat, perscripsit, ipse etiam La
 finius, ut Bironium ad aulam venire
 pelliceret, datis ad eum literis non
 modo securitatem, sed & singulare
 Regis benevolentiam pollicebatur, fide
 data, quod nec Regi nec ejus Ministris
 de arcanis eorum consiliis quicquam ma
 nifestarit: Insuper Escurius & Joanne
 nus, quos Rex ad eum ablegabat, tam
 validis eundem urgebant rationibus, et
 Laffinii sponfione, necnon Lugdunensi
 comperta veniam impetrandi facilitate
 propriique meriti fiducia deceptus, Le
 tetiam venire decerneret, id nequius
 quam dissuadentibus Luxio, ejusque
 amicis, ac præcipue Espernonio Duce
 qui Bironio, ut potius absens Regis clem
 entia se committeret, author erat.
 Igitur die decima tertia Junii Fonten
 bellaqueum advenit, cui obviam factus
 Laffinius proditor hæc ejus auribus infu
 furrabat: *Domine, animo & lingua uter
 nil ipsis de nobis constat.* Rex adventan
 tem Bironium amplexatus eundem ad
 ingenuam conjurationis confessionem
 hortabatur, omnium delictorum veniam
 pollicitus. Bironius reposuit, quod ut
 pote innocens, venia non indigeret, ac
 cusatorum vero nomina, ut resciret,
 ac de iis sibi a Rege satisfaceret, ad
 aulam

*Hist. du
 Duc d'Es-
 pernon
 l'an. 1602.*

aulam venisset. Rex spatium delibe- Sæc. XVII.
 randi ei relinquere volens Espernonium A. C. 1602.
 & Sueffionensem Comitem sollicitabat,
 ut Bironii pertinaciam vincere niteren-
 tur, spe facta, quod Rex solam crimi-
 nis confessionem velut pœnitentiæ testi-
 monium acceptaturus esset. At incas-
 sum erant omnia: postridie Rex sum-
 mo mane in horto Bironium ad se vo-
 catum rursus enixe rogabat, ut res, de
 quibus sibi jam aliunde plene constaret,
 nihil dissimulans manifestaret.

§. XCI.

*Bironius custodiae datus, ac capite
 plexus.*

Cum Bironius cuncta pertinaciter per- Dupleix
 negaret, Rex hoc unum superesse hist. du
 ad suos ajebat, ut illum comprehendi, Henri. IV.
 ac legibus cum eo agi juberet, hanc Mem. de
 que in rem Vitrio & Choiselio Stipato- Sully tom.2.
 rum Præfectis clam significari præce- cap. 10.
 pit, ut suos sub noctem paratos habe- Thuan. l. 128.
 rent, ipse vero Rex post cœnam denuo
 Bironium urgeret, ut quod sciret, ipse
 sibi patefaceret, quo recusante ajebat:
quæ tu negas, ab Alvernica Comite an re-
scire potero, tentabo; mox ambo com-
 prehensi die decima octava Junii Ba-
 stillam conducti sunt: postea vero coram
 Judicibus Laffinius præsentem Bironio
Hist. Eccles. Tom. LIII. P hæc

Sæc. XVII. hæc accusationum capita exposuit:
 A. C. 1602. clandestina habuit commercia cum
 coto II. Sabaudix Dux eidem una
 ex suis Filiabus in Sponsam promissam
 vicissim Bironius ad exitium Regii ex-
 citus, imo ipsius etiam Regis Ducem
 vit, eundem etiam de exiguo Regni
 agminis numero, ac urbium statu, in
 turaque obsidione propugnaculi S. Car-
 tharinæ certiore reddidit. III. Illi
 Præfectum monuit, ut Regem, quem
 ipse munimenta contemplaturum adducere
 vellet, tormentis suis petere.
 IV. Sommæ prope Ticinum pacta ini-
 vi quorum Franciæ Rex ad normam
 Romani Imperii non jam Successionis
 jure, sed Parium suffragiis deinceps
 minaretur. Hæc & plura alia non modo
 Laffinius, sed & Renaseus & Car-
 lus Hubertus productis Bironii literis
 confirmabant, quibus omnibus maturè
 discussis die vigesima septima Julii
 Bironio in Regio Senatu coram centum
 quinquaginta Judicibus comparere jubentur
 hæc accusationum capita præleguntur
 quibus omnibus aut pernegatis, aut
 dextere declinatis ad Bastillam reducuntur.
 Die trigesima ejusdem Mensis in
 Senatu Regio Cancellarius unacum Ju-
 dicibus pronuntiabat, quod Bironius
 læsæ Majestatis, ac conflatæ conjura-
 tionis reus omnibus suis bonis, hono-
 ribus

ribus & dignitatibus privatus, in arcis Sæc. XVII.
 Greviæ area capite plecteretur, ad A. C. 1602.
 fervidas tamen Bironicæ familiæ pre-
 ces mutato supplicii loco Rex indulse-
 rat, ut in ipsa Bastilla pœnas lueret.
 Percepta hac sententia Bironius in la-
 crimas & lamenta erumpens, dum nul-
 lam veniæ spem superesse cerneret, sese
 proximæ morti accingere cœpit, piis
 Garnieri Doctoris & Maignani Parochi
 ad S. Nicolaum de Campis hortationi-
 bus egregie adjutus. Postquam ergo
 sequenti die ferale pegma conscenderet,
 denuo mortis sententia prælegebatur,
 inaudiens autem, quod ob insidias Re-
 giæ vitæ fractas morti adjudicaretur,
hoc falsum est, exclamabat, delete hoc,
nunquam id mihi in mentem venit: postea
 fufis ad Deum precibus strophium
 suum extrahens sibimetipsi oculos ve-
 labat, illo autem mox detracto, vultu-
 que ad carnificem verso ajebat, *cave, ne*
accedas, secus tibi cervicem frangam, ex-
 tremum autem hoc officium sibi impen-
 di rogabat a Baratono, qui eidem in
 carcere inserviebat: quo facto carnifex
 unico ictu caput amputat, quod una
 cum corpore linteo involutum ad S. Pauli
 Templum defertur, ibidemque solitis
 exequiarum honoribus terræ mandatur.
 Ex ceteris conjuratis Luxius & Alver-
 niæ Comes Regis clementiam ingenua
 P 2 confes-

Sæc. XVII. confessione promeriti, libertati reddi-
 A. C. 1602. bantur: Hubertus vero, qui Bironio
 epistolis erat, ad perpetuum carcerem
 damnatus est. Ita nempe seditio-
 exitus est feralis seditiosorum interitus

§. XCII.

*Henrici IV. Regis querelæ apud Pa-
 pam contra Hispaniæ Regem,
 & Sabaudicæ Ducem.*

*Mem. secret.
 sous l'an
 1602.*

Die vigesima nona Julii Henricus Ga-
 liarum Rex Maximiliano Bethun-
 Comiti, suo apud Pontificem Oratori
 negotium dabat, ut eundem de tota
 conspirationis serie certiolem reddere
 exponeret, quod ipso etiam fatente Bi-
 ronio complices præter Hispaniæ Regem
 & Sabaudicæ Ducem sub Religio-
 nis obtentu Sanctitatem suam inva-
 vere intenderint: Pontifex Oratori, quod
 hæc proposuerat, Regi nuntiari præ-
 cepit, solerter caveret, ne temere
 los, quos atrocium criminum convicti
 deferunt, ejusmodi scelerum confite-
 judicet, eoquod ejusmodi homines ple-
 rumque magno complicum numero
 auctoritate Principes suos detertere
 atque a legum severitate abstertere in-
 tendant: de cetero Rex certus sit, quod
 Sabaudicæ Dux testante ipsius Legati

nec post firmatam pacem, nec fervente Sæc. XVII.
 bello civili ulla contra Franciam clan- A. C. 1602.
 destina foverit consilia, imo quemdam,
 qui se ad Ledigierium trucidandum ob-
 tulerat, non sine indignatione repulerit:
 de Hispaniæ vero Rege utpote pacis
 studiosissimo tantum scelus suspicari, ne-
 fas foret. Replicante Oratore, quod Rex
 nec tantum scelus in Legato suo Co-
 mite Fontano impunitum relinquere,
 nec Sabaudix Duci permittere debuif-
 set, ut ipse Gallos ab obsequio Regis
 sui abstrahere præsumeret: ad hæc Cle-
 mens, qui pacem inter utrumque Re-
 gem nuper redditam tueri apprime sol-
 licitus, omnem diffidentix fomitem ex-
 tingueri satagebat, Oratori ita respon-
 dit, „a Bironii captivitate, ut Fonta-
 „num & Sabaudum ad saniora reduce-
 „rem, nil intentatum reliqui, proin Regi
 „Christianissimo considerandum expo-
 „nas velim, quantam utilitatem Rex
 „ex nupera pace reportarit, econtrario
 „autem nova animorum disjunctio rur-
 „sus Christianam Rempubicam maxi-
 „mis calamitatibus involutura esset, fa-
 „cile ceteris Principibus alterutri fa-
 „ventibus, bellique incendium per uni-
 „versam Europam propagantibus. Por-
 „ro Fontanus Comes non ita pridem
 „ex honorariis suis famulis unum ad
 „me ablegabat, questum, quod ipse
 „velut

Sæc. XVII., „velut conjurationis conflatae particeps
A. C. 1602. „non nisi per summum nefas a Gallis
 „haberetur.„ Nihilominus Bethuniæ
 Regi suo minime satisfactum iri affi-
 mabat, nisi Hispaniarum Rex Fontanum
 severe castigaret, atque a Sabaudis
 si ambo rei invenirentur, desciscere
 hoc tamen vix expeti poterat, idoneis
 qui horum crimen probare possent, de-
 ficientibus testibus, quales contra Be-
 ronium deferentes, haud esse videban-
 tur, qui simul rei, accusatores & tes-
 tes erant.

§. XCIII.

*Hispaniæ Regis honor coram Pontifice
 vindicatus.*

*Thuan.
 l. 128.
 Mem. Se-
 cræ. l. c.*

Nondum expleto Bironii supplicio Lavardinus, cui Henricus Rex Burgundiae Præfecturam commiserat, comitiis Hispanis a Comite Fontano in Belgium decretis transitum per Gressinium pontem Rhodano impositum denegabat. Re comperta Philippus Hispaniarum Rex Joannem Baptistam de Taxis in Franciam ablegabat, ut de feliciter eluctato conjurationis periculo Regi gratularetur, simulque liberum Hispani exercitus transitum ab eo exoraret. Jam antea Hispaniæ Orator de Lavardini ausu apud Pontificem querebatur, comminatus,

tus, hanc injuriam haud inultam relin- Sæc. XVII.
 qui, eo potissimum nomine, quod Pon- A. C. 1602.
 tifice, Aldobrandino Cardinale, & ipso
 etiam Franciæ Legato urgentibus, Phi-
 lippus licet invitus, renuente Sabaud
 Gallis Gesiam cefferit, salvo tamen tran-
 situ. Eapropter Pontifex pacem exin
 infringi veritus, mox Comitem Octa-
 vidm Taffonum ad Henricum decernit,
 qui tranlitus copiam exoraturus Regi
 exponeret, hac repulsa pacem initam
 violari, cum Hispani nonnisi per terras
 Sabaud in Lugdunensibus pactis re-
 licitas transire intenderent: Nec deerat
 Pontificis conatibus prosper Legationis
 successus; quippe Henricus non modo
 transitus libertatem indulfit, sed etiam
 die decima quarta Augusti missis ad Be-
 thunium literis Pontifici significari jus-
 sit, „quod ex Bironii actis nullatenus
 „evinci queat, Regem Catholicum hu-
 „jus conjurationis conscium fuisse, Fon-
 „tanus tamen culpa haud vacare videat-
 „tur, eoquod a Sabaud Henrici cædem
 „promovere sollicitatus, exhorruerit qui-
 „dem, ipsum tamen captivum abduci
 „suaserit: nihilominus Hispaniæ Orator
 „spondiffet, quod Philippus in om-
 „nes suos subditos, quicunque hujus
 „criminis rei invenirentur, severe anim-
 „advertere, Regique plene satisfacere
 „intendat. Hanc tamen atrocem in-
 „juriam,

Sæc. XVII. „juriam, etsi Rex intimo dolore festi-
 A. C. 1602. „ret, nullatenus tamen vindictam
 „rans, sese plene Dei judicio ac Sancti
 „tatis suæ prudentiæ relinqueret. „ D
 vindicata Hispani Regis innocentia sum-
 mopere lætabatur Pontifex, qui cur-
 ctas solliciti Pastoris partes explens
 nona Septembris Bethunio declarabat
 quod lubenter pro conservatione pacis
 vitam suam sacrificare paratus tantum
 pere dissidia inter utrumque Regem to-
 vere abhorruerit, ut ejusmodi etiam
 cogitationes non modo Christi Vicarii
 sed cuicumque etiam Christiano indi-
 gnas semper detestatus sit, quapropter
 pro tuenda inter illos amicitia arden-
 tissimum studium sit impensurus: tibi te-
 men, subjunxit, non ut Oratori, sed ut Equi-
 „ti dictum sit, quod licet Hispanos, in qui-
 „bus non pauca reprehendo, cæco ab-
 „sectu defendere haud intendam, æquis
 „tamen ipsorum querelis contra Regem
 „tuum deferre cogar, propter auri, ni-
 „litumque suppetias, quas hic violato
 „Verbiensis pacis articulo Batavis Calvi-
 „nistarum secta infectis suppeditavit.
 „inde enim orta est inter utrumque Re-
 „gem dissensio. „ Ad hæc Orator no-
 mine Regis reposuit, quod Henricus
 Batavis absque pacis præjudicio sup-
 petias ferat, pecuniis vero, quas sup-
 peditaret, non nisi æs alienum eis debi-
 tum

tum expunxerit, incio autem eo mili- Sæc. XVII.
tes ad ipforum vexilla transferint. A. C. 1602.

§. XCIV.

Bullionius Conjuratiōnis complex.

Ex præcipuis conjuratiōnis motæ con- *Thuan.*
sciis erat Bullionius Marecallus seu *l. 128.*
Henricus de la Tour, Turenæ Vice- *Thoyras*
Comes, qui Bironii supplicio territus *hist. d' Angl.*
Septimaniam contendit, die trigesima *lib. 17.*
Novembris Castrum delatus: inde apud *Mem. secret.*
Regem, qui eum literis die decima no- *part. 2.*
na Octobris datis ad se venire jusserat,
suam absentiam excusans rogabat, ut
Castri in Tribunali, quod utpote ex Ju-
dicibus partim Catholicis partim Hu-
gonottis conflatum *Camera bipartita* di-
citur, innocentiam suam demonstrare per-
mitteretur: ast renuente Rege, ac ipsum
comprehendi jubente, Bullionius Mon-
pelium venit, ac Protestantium, quo-
rum sectæ addictus erat, patrocinio a-
pud Regem implorato incolumis Gene-
vam profectus est; postquam vero Pro-
testantes crebras ad Regem literas mi-
ferant, supplices, ut ei apud Judices
minime suspectos causam dicere lice-
ret, Rex Elisabethæ Angliæ Reginae
indignationem veritus, die quinta De-
cembris per Oratorem suum Christo-
phorum Harlæum Bellomontium de

Sæc. XVII. Bullionii crimine agere cœpit, & quid
 A. C. 1602. cum eo agendum, Reginæ sententiam ex-
 petiit. Verum arrogans fœmina non
 modo Bullionium sibi amicitia & Reli-
 gionis affinitate conjunctum velut suo-
 rum hostium calumniis oppressum ex-
 cusabat, & cum eo dissimulatione ut-
 tendum suadebat, sed etiam ipsius Re-
 gis fidelitatem his verbis carpsit: *gaude-
 det vester Rex me bello opprimi, & me tan-
 quam annosam despicit, sibi que blanditur,
 quod semper Gallis adhærere cogar, sed
 fallitur, ab unius Elisabethæ nutu deper-
 det, ut is de opposito vincatur.* Ha-
 nimia libertate dictis Rex irritatus, ju-
 dicii acta instrui jussit, moxque scrip-
 ptum, quod præcipua accusationum ca-
 pita continebat, circumferebatur, quæ
 omnia Bullionius tanquam ex sui sectæ
 que suæ odio prolata pernegabat.

§. XCV.

*Melitenfium Equitum expeditio contra
Turcas.*

Thuan. hist.
 l. 127. Sub idem tempus Melitenfes Equites
 sub auspiciis Adolphi Vignacurii
 Hierosolymitanæ militiæ Magistri instru-
 ctis quinque triremibus Mahometam
 feu Adrumetum Africæ urbem occu-
 pare nitebantur. Eo fine Matha Se-
 quanus veteranus Dux die quarta Au-
 gusti

gusti portu solvens naves mille circiter Sæc. XVII.
A. C. 1602.
armatis ac ducentis quadraginta Equi-
tibus instructas Lampadosam conduxit,
inde progressus duas Turcicas triremes,
quæ in insidiis latebant, occupat, captis
quinquaginta octo Turcis: postea pro-
moto victoriæ cursu noctisque beneficio
urbi appropinquans expositis in terram
suorum septingentis, Vadagnio Bello-
gardio & Canremio negotium dabat, ut
ambo subsequentibus copiis, duo crepita-
cula utrique portæ admoverent: nec de-
fuit animoso molimini optatus successus;
quippe scalis appositis, impetuque facto
urbs feliciter capta, quæ tamen cum ser-
vari haud posset, post direptionem
igni consumpta est, præsidiariis omni-
bus captis, atque in servitutum abdu-
ctis. Ex nostris nonnisi quatuor Equi-
tes, atque inter eos Carolus Espinæus
lancea confossus, necnon viginti sex
milites desiderati sunt, nonaginta cir-
citer vulneratis. Eodem vero tempore
classis Turcica ductore Cicada Rhegium
in freto Siculo fœde devastabat. Pau-
lopost Janissari cum vastationes, quibus
Scriba Pirata cum seditiosis suis usque
ad novæ Romæ portas grassabatur, im-
pune tolerari, ægre ferrent, Purpura-
tos hujus indulgentiæ reos ad poenam
dedi, ab ipso Senatu postulabant, Assa-
nes vero, cum se peti cerneret, totam
culpam

Sæc. XVII. culpam in Sultanam conjecit: eo igitur hortante Sultanus, ut hos furibundos placaret, duos Eunuchorum Principes capite plecti jussit, Scribam vero quocum transegit, Bosnæ Præfectum decorabat, belli in Hungaria gerendæ cura eidem commissa, quo cum suorum decem millibus nulla mora se contulit: Sultanus vero uxorem suam, quam Janissari ad tempus ab aula relegari petebant, ipse in mare unacum quatuordecim aliis projici, prius autem ipsius filium in Matris conspectu strangulandi præcepit.

§. XCVI.

Henrici IV. Galliarum Regis fœdus cum Helvetiis innovatum.

*Daniel hist.
de France
tom. 10.
Thuan. l. 129.*

Jamjam Regnante Carolo VIII. Galliarum Rege cum Helvetiis inita erat armorum Societas, quam tamen Henricus Rex amplioribus pactis innovare statuit, misso hanc in rem Emerico Vico, qui Soloturni cum illis fœdus concluderat: Ut vero illa solemnis sponsio utrinque rata haberetur, hoc anno omnes Pagi Delegatos suos numero quadraginta duos Parisios decernebant, qui die decima quarta Octobris Carentonium delati præprimis Regi supplicabant, quatenus ipsis, antequam Sacramenti Religionem sese adstringerent, tres articulos pro-

proponere liceret, quorum primus erat: **Sæc. XVII.**
 ut deinceps ad quadringenta aureorum **A. C. 1602.**
 millia quotannis aliqua adhuc millia ad-
 derentur. II. Nationis suæ Privilegia
 circa Franciæ negotiationem facta serva-
 rentur. III. Quinque Pagi in fœdere cum
 Mediolanensi Principatu & Sabaudo nu-
 per icto permanere possent, ac Protestan-
 tes, si bellum contra ipsos in Regno ge-
 reretur, suppetias ferre non teneren-
 tur. Rex ceteris admiffis circa primum
 articulum, exhaustum caussabatur æra-
 rium: His ita compositis die vigesima
 Octobris ingenti pompa Rex comitante
 Nobilitate præcipue unacum Helveticæ
 gentis Oratoribus ad Beatæ Virginis æ-
 des processerat, ubi Viennensis Archi-
 episcopus solemne Sacrum peragebat,
 sub quo Protestantes extra Chorum ad
 pulpitum substiterant. Eo peracto Ora-
 tores fœderis pacta suo Regisque sigillo
 munita super Pulvinar deferunt, ac
 Rege ipsorum fidelitatem, ipsis vero
 Franciæ gloriam deprædicantibus manu
 Evangelii libro imposita fidem suam ju-
 risjurandi Religione obstrinxerant, idem
 Rege confestim præstante. Postea de-
 cantato Hymno Ambrosiano Oratores
 ad Episcopale Palatium conducti, lau-
 toque convivio excepti demum hono-
 rifice in patriam suam reducebantur.

§. XCVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

§. XCVII.

Brownistarum Secta in Anglia.

*Ottius an-
nal. Arab.
Rossæus
fundat.
Brownist.
Nichols. def.
Angl. Eccles.
Weisman
hist. Sæcul.
XVII.
pag. 1047.*

Hoc anno innovata est in Anglia Brownistarum secta, quæ postea *independentium* dicta temporis progressu plurima privati Spiritus monstra progernabat. Hæc priori sæculo sua debet cunabula, Progenitore Roberto Bolton qui ceteris primus in Anglia recens introductum Ecclesiæ Regimen abominatus socium sibi adlegit Robertum Brownium Leidenfis Ecclesiæ Pastorem, cetera juvenem vecordem, factiosum, animo immoderatum, atque in Ecclesiæ suæ perniciem natum, optimorum Actorum parum studiosum, solertem tamen librorum Puritanorum Lectorem. Hic ex Anglia Medioburgum in Zelandia profugus, cantata palinodia denuo ab Anglicanæ Ecclesiæ Ministris in gratiam receptus est, ad vomitum vero rediens propter uxorem inclementer habitam in vinculis, vel ut alii volunt, ob dissolutissimam vitam atque æs alienum in carcere misere periit: Postmodum tamen aucta fuit eorum secta, accedentibus Thascero & Copingio, Barovio & Grenowodo, qui tamen anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo tertio suspendio plectebantur, licet eos Brownistæ Martyrum honore venerati sint.

sint. Hi antea ex Anglia Amsteloda- Sæc. XVII.
 mum auffugientes, fervidos suæ sectæ A. C. 1602.

Duces Franciscum Jonsonum & Henricum Ainsworthum consecuti sunt, qui etiam hoc anno palam sectæ suæ professionem edidere, cujus articuli minus nocivi fuere hi I. quod Ecclesia Anglicana, ejusque Regimen, necnon Ethnica dierum nomina, gradus Academici, Gentilium librorum prælectio in Scholis damnanda foret. II. Omnes tam Episcoporum quam Presbyterorum ordinationes eorumque auctoritatem abominabantur, suamque Ecclesiam solam ab errore immunem, Anglicanam vero Papismo, Anti-Christianismo, & idololatria, omnigenisque flagitiis inquinatam traducebant, cunctasque peccandi formulas, imo & ipsam Orationem Dominicam rejiciebant, denique III. Catechismos, symbolum Apostolicum, Philosophiam & Universitates flocci habebant. Hæc, inquit Weismanus, *prima Anglicani schismatis initia & fundamenta fuerunt, sed aurea fere, si comparentur, cum tragædiis sequentium temporum, quas peperit infelix mixtura eorum, quæ mala fuerunt in Hierarchismo, Presbyteranismo & Independentismo.*

Econtrario Catholicæ fidei puritatem sanguine suo gloriosius pro Deo ac Religione profuso confirmarunt Franciscus Paghius & Dominicus Colinus, quorum primus Londini, alter Conchæ in Hibernia suspen-

Sæc. XVII. suspendio vitam hoc anno posuere, E.
 A. C. 1602. sabethæ Reginæ truculento contra C
 tholicos imperio.

§. XCVIII.

*Contentio inter Scholam Sorbonicam
 Navarricam composita.*

*Argentre
 judic. Facult.
 Theol. t. 2.
 p. 539.*

Exorta erat hoc anno inter Collegium
 Sorbonicum & Navarricum quæ
 circa Ordinis prærogativam Prioris Sor
 bonici, ubi die decima sexta Julii sanc
 tum est, quod eidem primus locus ante
 omnes Baccalaureos debeatur: cum au
 tea die prima Augusti de confirmanda
 hac decisione ageretur, & Magister A
 drianns Ambosius rem ad Regium Sena
 tum esse devolvendam ediceret, ceteri
 Doctores unacum Decano comitia priva
 ta, ubi res amice tractaretur, ad diei
 quintam ejusdem Mensis indixere: A
 driano autem comparere recusante pro
 Collegio Navarrico Andreas Bartholo
 mæi & Fayerus, pro Sorbonico Petrus
 va, Ancelinus, Huon Cholætæus, Guido
 le Roux Carmelita, Pillon Augustinianus
 Cucillius Prædicator, alique Magistri
 nominabantur, qui eadem die statuerunt
 standum esse antiquæ consuetudini, qua
 Prior Sorbonicus in omnibus locis & Con
 ventibus reliquis Facultatis Theologicæ
 Baccalaureis præire consuevit. Demum
 ne quid contra hanc decisionem innova
 tur, prohibitum est.

HISTO